


J.O.Plessis
Curé de Québec.


J. O. PLESSIS
Evêque de Québec.

OFFICIUM

IN FESTO SANCTÆ FAMILIÆ

JESU, MARIÆ, JOSEPH,

Quod celebratur in Diœcesi Quebecensi, Dominicâ tertiâ post Pascha.



CUI ADDITUM EST

OFFICIUM

IN FESTO SACERDOTII D. N. J. C.

Ibidem celebrari solito Feriâ V. quæ prima occurrit post diem 29 Augusti.

QUEBECI:

Ex Officina Novæ Typographiæ.

M.DCCCX.

SA

AD

Ant. O
tor gener
eum co
Virgine
et proc
ſemine,
ſuam De

D Ixit
me
meis.
Donec
tuos, *
orum.
Virga
tet Do
domina
rum tu
Tecu
virtutis
ſanctoru
luciferu
Jura
pœnite
ſacerdo
dùm u
Don
confrep
Judic
plebit
capita

OFFICIUM
SANCTISSIMÆ FAMILIÆ.

AD VESPERAS.

Ant. O Admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem. Alleluia.

PSAL. 109.

DIxit Dominus domino meo: * sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos, * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum: * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: * tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis, * confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: * conquassabit capita in terrâ multorum.

De torrente in viâ bibet: * propterea exaltabit caput.

Ant. O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem. Alleluia.

Ant. Ante luciferum genitus, & ante secula, Dominus Salvator noster in formâ servi apparuit. Alleluia.

PSAL. 112.

LAudate, pueri, Dominum: * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc, & usque in seculum.

A solis ortu usque ad occasum, * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, * & super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, * & humilia respicit in Cœlo & in terrâ?

Suscitans à terrâ inopem,

* & de ſtercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo, * matrem filiorum lætantem.

Ant. Ante luciferum genitus, & ante ſecula, Dominus Salvator noſter in formâ ſervi apparuit. Alleluia.

Ant. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns, exclamavit dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Allel.

PSAL. 121.

LÆtatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: * in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes noſtri, * in atriis tuis, Jeruſalem.

Jeruſalem, quæ ædificatur ut civitas: * cujus participatio ejus in idipſum.

Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini: * teſtimonium Iſrael ad confitendum Nomini Domini.

Quia illic ſederunt ſedes in judicio, * ſedes ſuper domum David.

Rogate quæ ad pacem ſunt Jeruſalem: * & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tuâ, * & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos et proximos meos, * loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei noſtri, * quæſivi bona tibi.

Ant. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns, exclamavit dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Alleluia.

Ant. Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus, miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Alleluia.

PSAL. 126.

NIſi Dominus ædificaverit domum, * in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, * fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: * ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: * ecce hæreditas Domini, filii, merces, fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis: * ità filii excuſſorum.

Beatus vir qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis: * non confundetur cùm loque-

tur inimicis suis in portâ.

Ant. Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Alleluia.

Ant. Joseph, fidelis & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Alleluia.

PSAL. 147.

LAuda, Jerusalem, Dominum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: * benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: * & adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ: * velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas: * ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: * flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: * justitias & judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: * & judicia sua non manifestavit eis.

Ant. Joseph, fidelis & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Alleluia.

CAPITULUM. *Gal.* 4.

FRatres, quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt â servo, cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus, & actoribus est, usque ad præfinitum tempus â patre.

HYMNUS.

O Par ingenito, Christe Deus, Patri,
Infans! quem teneris, conjuge cum sacro,
Mulcet Virgo Parens & colit osculis,
Da cunas propè sistere.
Hic diræ meditans supplicium crucis,
Fletu nostra tuo crimina diluis,
Vagitu misero flectis & æthera:
Pœnas excipis, innocens.
Libas purpureum, corpore, sanguinem,
Exciso; Solymæ fata præoccupas,
Natalique solo non pudet ejici;
Sic ægros, medicus, pias.
Tu, Mater, penetrans grande sacrarium,
Quid vindex scelerum, quid Deus exigat

Altâ mènte vides, jamque tuum, ferox,
Pectus, lancea vulnerat.
Quò te cumque, Senex, Dei, juſsa ferant Poli,
Sponſam cum puero, nec mora, dirigis :
Alto tu que mones, Chriſte, ſilentio,
Quid natos decet in patres.
Inſudas operi, pauper & indigus ;
Templo, qui proceres, ſermo Patris, doces;
Tot ſecreta tegis fronte modeſtiæ,
Quæſitor, licet arbiter.
Per Chriſtum puerum maxima laus Patri :
Per Matrem, proprio maxima Filio ;
Per Sponſum tibi, laus maxima, Spiritus ;
Per Tres gloria ſit Tribus. Amen.

v. Verbum caro factum eſt, Alleluia.
R. Et habitavit in nobis, Alleluia.

Ad Magnificat, Antiph.

Joſeph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu Sancto eſt : pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Alleluia.

Canticum B. Mariæ. Luc. 1.

MAgnificat * anima mea Dominum.

Et exultavit ſpiritus meus * in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ : * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt : * & ſanctum nomen ejus.

Et miſericordia ejus à progenie in progenies * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo : * diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede, * & exaltavit humiles.

Eſurientes implevit bonis : * & divites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum, * recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros, * Abraham & ſemini ejus in ſæcula.

Ant. Joſeph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu Sancto eſt : pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Alleluia.

ORATIO.

DEus qui ſalutis æternæ,

per Sanctiſſimam Familiam Jeſu, Mariæ, Joſeph, humano generi præmia præſtitisti; tribue, quæſumus, ut quâ vitæ authorem nobis ſimilem foris agnovimus, per eam intùs reformari mereamur. Per eumdem &c.

Comm. Sabbati ante Dominicam tertiam Poſt Pascha.

Ant. Modicum, et non videbitis me, dicit Dominus; iterùm modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem. Alleluia, alleluia.

℣. Mane nobiscum, Domine, alleluia.

℟. Quoniam adveſperaſcit, alleluia

ORATIO.

DEus, qui errantibus, ut in viam poſſint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen oſtendis: da cunctis qui chriſtianâ profeſſione cenſentur, et illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt nomini, et ea quæ ſunt apta ſectari. Per Dominum &c.

AD COMPLETORIUM.

Doxologia. Gloria tibi, Domine, qui natus es de virgine &c.

AD MATUTINUM.

Pater noſter. Ave Maria. Credo in Deum. Domine labia &c. Deus in adjutorium &c.

Invitatorium. Alleluia, Jeſum Angelorum Dominum, parentibus ſubditum * Venite adoremus. Alleluia.

PSAL. 94.

VEnite exultemus Domino; jubilemus Deo ſalutari noſtro; præoccupemus faciem ejus in confeſſione, et in pſalmis jubilemus ei.

Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus ſuper omnes Deos; quoniam non repellet Dominus plebem ſuam: quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipſe conſpicit.

Quoniam ipſius eſt mare, et ipſe fecit illud, et aridam fundaverunt manus ejus. Venite, adoremus, et procidamus ante Deum: ploremus coram Domino qui fecit nos; quia ipſe eſt Dominus Deus noſter; nos autem populus ejus, et oves paſcuæ ejus.

Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto: ubi tentaverunt me patres veſtri, probaverunt et viderunt opera mea.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et

dixi, ſemper hi errant corde: ipſi verò non cognoverunt vias meas, quibus juravi in irâ meâ, ſi introibunt in requiem meam.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, et nunc, et ſemper, et in ſæcula ſæculorum. Amen.

HYMNUS.

Natum piando crimini
Miſſurus in terras Deus,
Natoque Matrem Virginem,
Sponſumque Matri providet.

Hæc illa mortalis Trias,
Adumbrat Æternam, piis
Et æmulans honoribus,
Sanctâ refert concordiâ.

Edicta Regis exeunt:
Tunc ſumme rerum Conditor,
Migras, parentum nomine,
Cenſendus inſtar ſubditi.

Sub noctis inclementiâ
Rigente, Natum, frigore,
Stringit puella faſciis;
Joſeph adorat Principem.

Præſepe, quem tu contines!
Lux fulget: ales gaudia
Labens Olympo nuntiat;
Et paſtor, & currit magus.

Illic Parentes excubant:
Quid non, tacendo, fervidis
Intùs ſonant affectibus!
Quali miniſtrant ordine!

Legale dum cultrum ferens,
Ultrò profundis ſanguinem,
Jeſum vocant, mox victimam
In templa ritè deferunt.

Ægypte, ſervas hoſpites,
Reddiſque, dum Cœlum monet:
Quos, Chriſte præſens roboras,
Non ſors acerba concutit.

Sit Laus Patri, laus Filio,
Sit par, tibi, laus, Spiritus
Quem Chriſtus afflabat puer,
Simul Deus, parentibus.
Amen.

In 1. Nocturno.

Antiphona. Maria peperit Filium ſuum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit in præſepio. Alleluia.

PSAL. 8.

Domine, Dominus noſter, * quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſâ terrâ!

Quoniam elevata eſt magnificentia tua * ſuper cœlos.

Ex ore infantium et lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, * ut deſtruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et ſtellas quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus, * aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis; gloriâ et honore coronaſti eum; * et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, * oves et boves univerſas, inſuper et pecora campi ;

Volucres cœli, et piſces maris, * qui perambulant ſemitas maris.

Domine, Dominus noſter, * quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſâ terrâ!

PSAL. 18.

CÆli enarrant gloriam Dei; * et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum; * et nox nocti indicat ſcientiam.

Non ſunt loquelæ, neque ſermones, * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit ſonus eorum, * et in fines orbis terræ verba eorum.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum; * et ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam : * à ſummo cœlo egreſſio ejus.

Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus : * nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animas : * teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.

Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda : * præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi : * judicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſa.

Deſiderabilia ſuper aurum et lapidem pretioſum multum : * et dulciora ſuper mel et favum.

Etenim ſervus tuus cuſtodit ea : * in cuſtodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit ? * ab occultis meis munda me ; et ab alienis parce ſervo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero ; * et emundabor à delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei : * et meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Domine adjutor meus, * et redemptor meus.

PSAL. 23.

Domini eſt terra, et plenitudo ejus; * orbis terrarum et univerſi qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper maria fundavit eum ; * et ſuper flumina præparavit eum.

Quis aſcendet in montem Domini ? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus ?

Innocens manibus et mundo corde: * qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à Domino, * et miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, veſtras, et elevamini, portæ æternales, * et introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas, principes, veſtras, et elevamini, portæ æternales, * et introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Gloria Patri, &c.

Antiphona. Maria peperit Filium ſuum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit in præsepio. Alleluia.

V. Puer Natus eſt nobis, alleluia.

R. Et filius datus eſt nobis, alleluia. Pater noſter.

Abiol. Exaudi Domine &c.

Lectio 1.

De Iſaiâ Prophetâ. *Cap.* 7

ET adjecit Dominus loqui ad Achaz dicens: pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſuprà; Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo, domus David: numquid parùm vobis eſt, moleſtos eſſe hominibus, qui moleſti eſtis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuël. Butyrum et mel comedet, ut ſciat reprobare malum, et eligere bonum.

R. Verbum caro factum eſt, et habitavit in nobis. * Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis, alleluia, alleluia.

V. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios dei fieri. * Et vidimus.

Lectio ij. *Iſai Cap.* 11.

ET egredietur virga de radice Jeſſe, et flos de radice ejus aſcendet. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ et intellectus, ſpiritus conſilii et fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ et pietatis, et replebit eum ſpiritus timoris Domini. Non ſecundùm viſionem oculorum judicabit, ne

ue ſecundùm auditum auri-
m arguet ; ſed judicabit in
uſtitiâ pauperes, et arguet in
quitate pro manſuetis ter-
æ, et percutiet terram vir-
â oris ſui, et ſpiritu labio-
um ſuorum interficiet im-
ium. Et erit juſtitia cingu-
um lumborum ejus, et fides
inctorium renum ejus.

R. Miſſus eſt Gabriel An-
elus ad Mariam Virginem
eſponſatam Joſeph : Ave
Maria, gratiâ plena, Domi-
us tecum : ecce concipies
t paries Deum pariter et
ominem. * Ut benedicta
icaris inter omnes mulieres,
lleluia.

V. Paries quidem filium,
t virginitatis non patieris
etrimentum ; efficieris gra-
ida, et eris mater ſemper
ntacta. * Ut benedicta.

Lectio III. Iſai Cap. 62.

PROPTER Sion non ta-
cebo, et propter Jeruſa-
em non quieſcam, donec
grediatur ut ſplendor juſtus
jus, et ſalvator ejus ut lam-
as accendatur. Et videbunt
entes juſtum tuum, et cunc-
i reges inclytum tuum : et
ocabitur tibi nomen novum,
uod os Domini nominabit.
t eris corona gloriæ in ma-
u Domini, et diadema reg-
i in manu Dei tui. Non
ocaberis ultrà derelicta : et
erra tua non vocabitur am-
plius deſolata : ſed vocaberis
Voluntas mea in eâ, et terra
tua inhabitata, quia compla-
cuit Domino in te : et terra
tua inhabitabitur. Habitabit
enim juvenis cum virgine,
& habitabunt in te filii tui.
Et gaudebit ſponſus ſuper
ſponſam, et gaudebit ſuper
te Deus tuus. Super muros
tuos, Jeruſalem, conſtitui cuſ-
todes, totâ die, et totâ nocte
in perpetuum non tacebunt.

R. Cum eſſet deſponſata
Mater Jeſu, Maria, Joſeph,
antequàm convenirent, inven-
ta eſt in utero habens de
Spiritu Sancto, * Joſeph, fili
David, noli timere accipere
Mariam conjugem tuam. †
Quod enim in eâ natum eſt,
de Spiritu Sancto eſt, alle-
luia, alleluia.

V. Pariet autem filium et
vocabis nomen ejus Jeſum.
* Joſeph. Gloria Patri, &c.
† Quod enim.

In II. Nocturno.

Antiphona. Postquàm com-
pleti sunt dies purgationis Ma-
riæ, tulerunt Jesum in Jerusa-
lem parentes ejus, ut sisterent
eum Domino. Alleluia.

PSALM. 44.

ERuctavit cor meum ver-
bum bonum : * dico ego
opera mea Regi.

Lingua mea calamus ſcri-
bæ, * velociter ſcribentis.

Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Specie tuâ et pulchritudine tuâ * intende prosperè procede et regna.

Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam: * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, * in corda inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in seculum secu i * virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem: * propterea unxit te, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta et casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis:* ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, * circumdata varietate.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam: * et obliviscere populum tuum et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum: * quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et Filiæ Tyri in muneribus, * vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs * in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: * proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitiâ et exultatione: * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui, * in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, * et in seculum seculi.

PSALM 45.

DEUS noster refugium et virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei:* ſanctificavit tabernaculum suum altiſſimus.

Deus in medio ejus non commovebitur: * adjuvabit eam Deus manè diluculo.

Conturbatæ ſunt gentes et inclinata ſunt regna: * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dominus virtutum nobiſcum,* ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Venite et videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram,* auferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum conteret et confringet arma,* et ſcuta comburet igni.

Vacate et videte quoniam ego ſum Deus:* exaltabor in gentibus et exaltabor in terrâ.

Dominus virtutum nobiſcum:* ſuſceptor noſter Deus Jacob.

PSALM. 86.

FUndamenta ejus in montibus ſanctis;* diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob.

Glorioſa dicta ſunt de te,* civitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylonis, * ſcientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum; * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet : homo et homo natus eſt in eâ,* et ipſe fundavit eam Altiſſimus ?

Dominus narrabit in ſcripturis populorum et principum : * horum qui fuerunt in eâ.

Sicut lætantium, * omnium habitatio eſt in te.

Antiphona. Poſtquam completi ſunt dies purgationis Mariæ, tulerunt Jeſum in Jeruſalem parentes ejus, ut ſiſterent eum Domino. Alleluia.

V. Ave Maria, gratiâ plena, Alleluia.

R. Dominus tecum, Alleluia. Pater noſter.

Abſol. Ipſius pietas &c.

Lectio IV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis. *Homil 1. In Laud. Virg. Matris.*

QUÆ eſt hæc Virgo, tam venerabilis, ut ſalutetur ab Angelo ; tam humilis ut deſponſata ſit fabro ? Pulchra permixtio virginitatis et humilitatis : nec mediocriter placet Deo illa anima, in quâ et humilitas commendat virginitatem, et virgini-

tas exornat humilitatem. Sed quantâ putas veneratione digna eſt, in quâ humilitatem exaltat fœcunditas, et partus conſecrat virginitatem? Audis Virginem, audis humilem. Si igitur virginitatem in Mariâ non potes niſi mirari, ſtude humilitatem imitari et ſufficit tibi. Quod ſi et virgo et humilis es: quisquis es, magnus es. Eſt tamen majus aliquid quod mireris in Mariâ, ſcilicet, cum virginitate fœcunditas.

R. Quem vidiſtis, Paſtores, dicite, annuntiate nobis in terris quis apparuit! * Natum vidimus, et choros Angelorum, collaudantes Dominum, alleluia, alleluia, alleluia.

V. Dicite quidnam vidiſtis, et annuntiate Chriſti nativitatem. * Natum vidimus.

Lectio V.

A Sæculo enim non eſt auditum, ut aliqua ſimul mater eſſet et virgo; Quod ſi et cujus mater attendas, quò te tua ſuper ejus mirabili celſitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc ut te videas nec ſatis poſſe mirari? Nonne tuo, imò veritatis judicio, illa quæ Deum habuit filium, ſuper omnes etiam choros exaltabitur Angelorum? Annon Deum et Dominum Angelorum Maria ſuum audacter appellat filium dicens: Fili, quid feciſti nobis ſic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, et pro magno habent, quod cùm ſint ſpiritus ex conditione, ex gratiâ facti ſunt, et vocati Angeli, teſtante David: qui facit, inquit, Angelos ſuos ſpiritus. Maria verò matrem ſe agnoſcens, Majeſtatem illam cui illi cum reverentiâ ſerviunt, cum fiduciâ ſuum nuncupat Filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod eſſe dignatus eſt. Nam paulò poſt ſubdit Evangeliſta: Et erat, inquiens, ſubditus illis. Quis? quibus? Deus, hominibus. Deus, inquam, cui angeli ſubditi ſunt, cui principatus & poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ, nec tantùm Mariæ, ſed etiam Joſeph propter Mariam.

R. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum: * Quia cùm eſſem parvula, placui Altiſſimo, & de meis viſceribus, genui Deum & hominem, alleluia.

V. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus. * Quia cùm.

Lectio VI.

Homil. 2. unde suprà.

ET ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. Nec vir ergo matris, nec filii pater extitit, quamvis certâ (ut dictum est) et necessariâ dispensatione utrumque ad tempus et appellatus sit et putatus. Conjice ex hâc appellatione, quâ (licet dispensatoriâ) meruit honorari à Deo, ut Pater Dei & dictus, & creditus sit: conjice & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubites interpretari, quis et qualis homo fuerit iste homo Joseph. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius istum non solùm vocabulum fuisse sortitum, sed castimoniam adeptum, innocentiam assecutum, & gratiam. Non est dubium, quin bonus, & fidelis homo fuerit iste Joseph, cui Mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus & prudens, quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidissimum.

R. Fidelis servus & prudens; * Quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutritium, & solum, in terris, magni consilii coadjutorem fidelissimum alleluia, alleluia.

V. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum suum confirmavit super caput ejus. * Quem constituit. Gloria Patri. * Quem constituit.

In tertio Nocturno.

Ant. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens; surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum. alleluia.

PSAL. 95.

CANTATE Domino canticum novum: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus; * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes deos

Quoniam omnes dii gentium dæmonia; * Dominus autem Cœlos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus: * sanctimo-

nia et magnificentia in ſanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem : * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hoſtias et introite in atria ejus : * adorate Dominum in atrio ſancto ejus.

Commoveatur à facie ejus univerſa terra : * dicite in gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, et exultet terra ; commoveatur mare, et plenitudo ejus : * gaudebunt campi, et omnia quæ in eis ſunt.

Tunc exultabunt omnia ligna ſilvarum à facie Domini, quia venit : * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate ; * et populos in veritate ſuâ.

PSAL. 96.

DOMINUS regnavit, exultet terra : * lætentur inſulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu ejus : * juſtitia et judicium correctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcedet, * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : * vidit et commota eſt terra.

Montes ſicùt cera fluxerunt à facie Domini ; * à facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli juſtitiam ejus : * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes qui adorant ſculptilia ; * et qui gloriantur in ſimulacris ſuis.

Adorate eum, omnes angeli ejus : * audivit et lætata eſt Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus altiſſimus ſuper omnem terram : * nimis exaltatus es ſuper omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum : * cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta eſt juſto, * et rectis corde lætitia.

Lætamini juſti in Domino : * Et confitemini memoriæ ſanctificationis ejus.

PSAL. 97.

CANTATE Domino canticum novum : * quia mirabilia fecit.

Salvavit ſibi dextera ejus,

✱ et brachium ſanctum ejus.

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum ; ✱ in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam.

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ : ✱ et veritatis ſuæ domui Iſraël.

Viderunt omnes termini terræ ✱ ſalutare Dei noſtri.

Jubilate Deo omnis terra : ✱ cantate, et exultate, et pſallite.

Pſallite Domino in citharâ, in citharâ et voce pſalmi : ✱ in tubis ductilibus et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conſpectu regis Domini : ✱ moveatur mare, et plenitudo ejus ; orbis terrarum et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini : ✱ quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in juſtitiâ ; ✱ et populos in æquitate

Ant. Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens ; ſurge et accipe puerum et matrem ejus, Et fuge in Ægyptum. Alleluia.

V. Conſtituit eum dominum domûs ſuæ, alleluia.

R. Et principem omnis poſſeſſionis ſuæ. alleluia.

Pater noſter.

Abſol. A Vinculis &c.

Benedictio. Evangelica Lectio &c.

Lectio VII.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Lucam. *Cap.* 2.

IN illo tempore : Ut perfecerunt (Parentes Jeſu) omnia ſecundùm legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam, in civitatem ſuam Nazareth. Puer autem creſcebat, et confortabatur, plenus ſapientiâ ; et gratia Dei erat in illo. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambroſii Epiſcopi. *Cap.* 2. *in Luc.*

DUÆ ſunt in Chriſto generationes : una eſt paterna, materna altera, Paterna illa divinior ; materna verò quæ in noſtrum laborem uſumque deſcendit. Et ideò quæ ſuprà naturam, ſuprà ætatem, ſuprà conſuetudinem fiunt, non humanis aſſignanda virtutibus, ſed divinis referenda ſunt poteſtatibus. Alibi eum ad miniſterium mater impellit, hîc mater arguitur, quia adhuc, quæ humana ſunt exigat. Sed cùm hîc duodecim deſcribatur annorum, illic diſcipulos habere dicatur ; vides matrem didiciſſe à Filio, ne exigeret à validiore miniſterium, quæ ſtupebat in juniore miraculum.

R. Benedictus qui venit in

nomine Domini : Deus Dominus et illuxit nobis, * Alleluia, alleluia.

V. Hæc dies quam fecit Dominus : exultemus et lætemur in eâ. * Alleluia, alluia. Gloria Patri * Alleluia, alleluia.

Lectio VIII

Benedictio Divinum auxilium &c.

ET venit Nazareth, et erat ſubditus illis. Quid enim magiſter virtutis, niſi officium pietatis impleret ? Et miramur ſi Patri defert, qui ſubditur matri ? Non utique infirmitatis, ſed pietatis iſta ſubjectio eſt ; attollat licèt ſævis emiſſus latebris coluber perfidiæ caput, et ſerpentinis evomat venena pectoribus. Cùm dicit ſe Filius miſſum, majorem hæreticus appellet Patrem, ut imperfectum Filium dicat, qui poteſt habere majorem, ut alienis auxiliis aſſerat eum qui mittitur, indigere ; numquid et humano egebat auxilio, ut materno ſerviret imperio ?

R. Aſcendit Joſeph à Galilæâ, de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem : * Eo quod eſſet de domo et familiâ David. Alleluia.

V. Ut profiteretur cum Mariâ deſponſatâ ſibi uxore. * Eo quod. Gloria Patri. * Eo quod.

Lectio IX.

Benedictio. Per evangelica &c.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Joannem. *Cap.* 16.

IN illo tempore ; Dixit Jeſus diſcipulis ſuis : Modicum, et jam non videbitis me ; et iterum modicum, et videbitis me. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi. *Tract.* 101. *in Joan.*

MODICUM eſt hoc totum ſpatium quo præſens pervolat ſæculum : unde dicit idem ipſe Evangeliſta in epiſtolâ ſuâ, Noviſſima hora eſt. Ideò namque addidit, Quia vado ad Patrem, quod ad priorem ſententiam referendum eſt, ubi ait, Modicum, & jam non videbitis me ; non ad poſteriorem, ubi ait, et iterùm modicum, & videbitis me. Eundo quippe ad Patrem, facturus erat, ut eum non viderent ; Ac per hoc non ideò dictum eſt, quia fuerat moriturus, & donec reſurgeret, ab eorum conſpectibus receſſurus : Sed quod eſſet iturus ad Patrem, quod fecit, poſteaquàm reſurrexit, & cum eis per quadraginta dies converſatus, aſcendit in cœlum.

TE Deum laudamus : te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem : omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli : tibi cæli, et univerſæ poteſtates :

Tibi Cherubim et Seraphim : inceſſabili voce proclamant :

Sanctus, Sanctus, Sanctus : Dominus Deus Sabaoth.

Pleni ſunt cæli et terra : majeſtatis gloriæ tuæ.

Te glorioſus : Apoſtolorum chorus.

Te Prophetarum : laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus : laudat exercitus.

Te per orbem terrarum, ſancta confitetur Eccleſia.

Patrem, immenſæ majeſtatis,

Venerandum tuum verum, et unicum Filium,

Sanctum quoque, Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ, Chriſte.

Tu Patris, ſempiternus es Filius.

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem : non horruiſti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo: aperuiſti credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram Dei ſedes: in gloriâ Patris.

Judex crederis, eſſe venturus.

Te ergo quæſumus, famulis tuis ſubveni: quos pretioſo Sanguine redemiſti.

Æternâ fac cum ſanctis tuis : in gloriâ numerari.

Salvum fac populum tuum Domine : et benedic hereditati tuæ.

Et rege eos : et extolle illos uſque in æternum.

Per ſingulos dies, benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum : et in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto: ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine : miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos : quemadmodum ſperavimus in te.

In te Domine ſperavi: non confundar in æternum.

AD LAUDES.

DEUS in adjutorium.

Antiphonæ ut in primis Veſperis.

PSALMUS 92.

DOMINUS regnavit, decorem indutus eſt : * indutus eſt Dominus fortitudinem, et præcinxit ſe.

Etenim firmavit orbem terræ, * qui non commovebitur.

Parata ſedes tua ex tunc : * à ſæculo tu es.

Elevaverunt flumina Domine : * elevaverunt flumina vocem ſuam.

Elevaverunt flumina fluctus suos, * à vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris, * mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.

PSALMUS 99.

JUBILATE Deo omnis terra:* servite Domino in lætitiâ.

Introite in conspectu ejus, * in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: * ipse fecit nos, et non ipsi nos:

Populus ejus, et oves pascuæ ejus: * introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis, confitemini illi.

Laudate nomen ejus: quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus: * et usque in generationem et generationem veritas ejus.

PSALMUS 62.

DEUS Deus meus * ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, * quàm multipliciter tibi caro mea.

In terrâ desertâ, et inviâ, et inaquosâ: * sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: * labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vitâ meâ:* et in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea: * et labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tuî super stratum meum, in matutinis meditabor in te: * quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: * me suscepit dextera tua.

Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam introibunt in inferiora terræ: * tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo:* quia obstructum est os loquentium iniqua.

Hic non dicitur. Gloria Patri.

PSALMUS 66

DEUS misereatur nostri, et benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terrâ viam tuam, * in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent Gentes:* quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terrâ dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * et metuant eum omnes fines terræ.

CANTICUM TRIUM PUERORUM.

Danielis 3.

BENEDICITE omnia opera Domini Domino: * laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Dni Domino: * benedicite cæli Dno.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino: * benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: * benedicite stellæ cæli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: * benedicite omnes spi-

ritus Dei Domino.

Benedicite ignis et æſtus Domino : * benedicite frigus et æſtus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino : * benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino : * benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebræ Domino : * benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum : * laudet et ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite montes et colles Domino ; benedicite univerſa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino : * benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia quæ moventur in aquis, Domino : * benedicite omnes volucres cæli Domino.

Benedicite omnes beſtiæ et pecora Domino : * benedicite Filii hominum Domino.

Benedicat Iſraël Dominum : * laudet et ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite ſacerdotes Domini Domino : * benedicite ſervi Domini Domino.

Benedicite ſpiritus et animæ juſtorum Domino : * benedicite ſancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Miſael Domino : * laudate et ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicamus Patrem et Filium cum ſancto Spiritu : * laudemus et ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cæli : * et laudabilis, et glorioſus, et ſuperexaltatus in ſæcula.

Hic non dicitur, Gloria Patri.

PSALMUS 148.

LAUDATE Dominum de cælis ; * laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes Angeli ejus : * laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum ſol & luna : * laudate eum omnes ſtellæ & lumen.

Laudate eum cæli cælorum :* & aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini.

Quia ipſe dixit, & facta ſunt. * ipſe mandavit, & creata ſunt.

Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſæculi : * præceptum poſuit, & non præterbit.

Laudate Dominum de terrâ :* dracones, & omnes abyſſi.

Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum : * quæ faciunt verbum ejus :

Montes, & omnes colles : * lignia fructifera, & omnes cedri :

Beſtiæ, & univerſa peccora : * ſerpentes, & volucres pennatæ :

Reges terræ, & omnes populi : * principes, et omnes judices terræ.

Juvenes, & virgines : ſenes cum junioribus laudent nomen Domini : *quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius.

Confeſſio ejus ſuper cælum & terram :* & exaltavit cornu populi ſui.

Hymnus omnibus ſanctis ejus : * filiis Iſraël, populo appropinquanti ſibi.

Hic non dicitur, Gloria Patri.

PSALMUS 149.

CANTATE Domino canticum novum : * laus ejus in Eccleſiâ ſanctorum.

Lætetur Iſrael in eo, qui ſecit eum : * & filii Sion exultent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano, & pſalterio pſallant ei.

Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo : * & exaltabit manſuetos in ſalutem.

Exultabunt ſancti in gloriâ : * lætabuntur in cubilibus ſuis.

Exaltationes Dei in gutture eorum : * & gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus, * increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus : * & nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conſcriptum : * gloria hæc eſt omnibus ſanctis ejus.

Hic non dicitur, Gloria patri.

PSALMUS 150.

LAUDATE Dominum in ſanctis ejus : * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus : * laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in ſono tubæ : * laudate eum in pſalterio, & citharâ.

Laudate eum in tympano, & choro : * laudate eum in chordis, & organo.

Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis :* omnis ſpiritus laudet Dominum.

Capitulum Fratres, quanto &c. Pag. 5.

HYMNUS.

VERBUM! virgineo te genitum ſinu,
Te Christi canimus Virgo puerpera,
Te, Joſephe, ſacram progeniem regens,
Cujus diceris et pater.
Regnator rutilo lapſus ab Æthere,
Tranquillus ſuperis quæ penetralibus,
Pacis regna tenet, condere tum venit,
Imis quas habitat plagis.
Fortunata domus, quam Deus incolit,
Ac cæleſtis amor, fons quoque luminis,
Quam nullis agitat cæcus amor malis,
Nec diſcordia dividit!
Simplex pauperies hanc decorat domum;
His et deliciæ finibus exulant:
Illic tota Deo gloria perfrui,
Mundum ſpernere, deſpici.
O vos, caſtra Dei, quo celer advolat
Cohors aligerum, laudibus æmulis
Circum tecta ſonans, nubibus obſequens.
O cælo domus domus altior!

Non te ſervitio legifer eximis,
Non divina negas membra laboribus,
Aſtrorumque faber ſis licet, artifex,
Lignis vilibus incubas.

Sacris verba Dei vatibus edita,
Exercent animos, candida veritas
Imples Chriſte ; jubar nube, parentibus,
Excuſſa patet obvium.

Quæ virtus radiat ! quæ ſapientia !
Qualis mellifluis gratia vocibus !
Quæ morum gravitas ! quam venerabiles
Progreſſus Hominis Dei !

Per Chriſtum puerum maxima laus Patri ;
Per matrem, proprio maxima Filio :
Per Sponsum, tibi, laus maxima, Spiritus ;
Per Tres gloria ſit Tribus. Amen.

V. Viderunt omnes fines terræ, alleluia.

R. Salutare Dei noſtri, alleluia.

Antiphona. Puer Jesus creſcebat, et confortabatur, plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo, et erat subditus illis. Alleluia.

Canticum Zachariæ.

Lucæ 1.

BENEDICTUS Dominus Deus Iſrael, * quia viſitavit, et fecit redemptionem plebis ſuæ :

Et erexit cornu ſalutis nobis, * in domo David pueri ſui

Sicut locutus eſt per os ſanctorum, * qui à ſæculo ſunt, prophetarum ejus :

Salutem ex inimicis noſtris, * et de manu omnium qui oderunt nos :

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris : * et memorari teſtamenti ſui ſancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, * daturum ſe nobis.

Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, * ſerviamus illi ;

In ſanctitate et juſtitiâ coram ipſo, * omnibus diebus noſtris.

Et tu puer, propheta Altiſſimi vocaberis : * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus :

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus : * in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri : in quibus viſitavit nos oriens ex alto :

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbrâ mortis sedent : * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Antiphona. Puer Jesus crescebat et confortabatur, plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo, et erat subditus illis. Alleluia.

Oratio ut in I *Vesp. pag.* 6.

Comm. Dom. III *post Pascha.*

Antiphona. Modicum & *ut in* I *Vesp.*

V. In resurrectione tuâ, Christe, alleluia.

R. Cœli et terra lætentur, alleluia.

Oratio Deus qui errantibus &c. pag. 7.

AD PRIMAM.

Pater noster. Ave Maria Credo. V. Deus in adjutorium

HYMNUS.

JAM lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet à nocentibus,
Linguam refrænans temperet,
Ne litis horror insonet :
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.
Sint pura cordis intima,
Absistat & vecordia :
Carnis terat superbiam
Potûs cibique parcitas :
Ut cùm dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Doxologia propria.

Ant. O admirabile.

PSAL. 53.

DEUS in nomine tuo salvum me fac : * & in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam : * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam : * & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me : * & Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis : * & in veritate tuâ disperde illos.

Voluntariè sacrificabo tibi, * & confitebor nomini tuo Domine : quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me : * & super inimicos meos despexit oculus meus.

PSAL. 118.

BEATI immaculati in viâ : * qui ambulant in lege Domini.

Beati, qui scrutantur testimonia ejus : * in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem, * in viis ejus ambulaverunt.

Tu mandasti : * mandata tua custodiri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ, * ad custodiendas justificationes tuas.

Tunc non confundar, * cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis, * in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.

Justificationes tuas custodiam : * non me derelinquas usquequaque.

In quo corrigit adolescentior viam suam ? * in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisivi te : * ne repellas me à mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua : * ut non peccem tibi.

Benedictus es Domine : * doce me justificationes tuas.

In labiis meis: * pronuntiavi omnia judicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, * sicut in omnibus divitiis.

In mandatis tuis exercebor: * et considerabo vias tuas.

In justificationibus tuis meditabor: * non obliviscar sermones tuos.

RETRIBUE servo tuo, vivifica me: * et custodiam sermones tuos.

Revela oculos meos: * et considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra: * non abscondas à me mandata tua.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas * in omni tempore.

Increpasti superbos: * maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Aufer à me opprobrium, et contemptum: * quia testimonia tua exquisivi.

Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur: * servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

Nam et testimonia tua meditatio mea est: * et consilium meum justificationes tuæ.

Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me secundùm verbum tuum.

Vias meas enuntiavi, et exaudisti me: * doce me justificationes tuas.

Viam justificationum tuarum instrue me: * et exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea præ tædio: * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amove à me, * et lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi: * judicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimoniis tuis Domine: * noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri, * cùm dilatasti cor meum.

Capitulum 1 *Tim.* 1.

REGI seculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria in secula seculorum. Amen.

R. Deo gratias.

Respons. breve. Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis. * Alleluia, alleluia.

Repetitur. Christe &c. V. Qui natus es de Mariâ Virgine. * Alleluia, alleluia.

Gloria Patri, et Filio, et spiritui Sancto. Christe &c.

V. Exurge Christe, adjuva nos, allel. R. Et libera nos propter nomen tuum, allel. V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOMINE Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti: tua nos hodie salva virtute; ut in hac die ad nullum declinemus peccatum: sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, et opera. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

R. Amen.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.
V. Benedicamus Domino.
R. Deo gratias.
V. Pretiosa in conspectu Domini.
R. Mors sanctorum ejus.

Et absolutè sine Oremus. Oratio.

SANCTA Maria, et omnes Sancti intercedant pro nobis ad Do-

minum: ut nos mereamur ab eo adjuvari et salvari: qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.

R. Amen.

V. Deus in adjutorium meum intende. R. Domine ad adjuvandum me festina. *Et dicitur ter: ultimo additur.* Gloria Patri. Sicut erat. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secretò.* V. Et ne nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos à malo. V. Respice in servos tuos Domine, et in opera tua, et dirige filios eorum. R. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige. V. Gloria Patri. R. Sicut erat.

Oremus. Oratio.

DIRIGERE et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus Rex cæli et terræ, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones, et actus nostros in lege tua, et in operibus mandatorum tuorum: ut hic, et in æternum, te auxiliante, salvi et liberi esse mereamur, Salvator mundi: Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

R. Amen.

V. Jube domne benedicere. *Benedict.* Dies et actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens.

R. Amen.

Ad Absolutionem Capituli.

QUoniam autem estis filii, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra, clamantium Abba Pater. Itaque jam non est servus, sed filius: quod si filius, et hæres per Deum. Tu autem.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini. R. Qui fecit cælum et terram. V. Benedicite. R. Deus. *Benedictio.* Dominus nos benedicat, et ab omni malo defendat, et ad vitam perducat æternam: et Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. R. Amen.

AD TERTIAM.

Pater noster. Ave Maria.
Deus in adjutorium.

HYMNUS.

NUNC sancte nobis Spiritus,
Unum Patri cum Filio,
Dignare promptus ingeri
Nostro refusus pectori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Confessionem personent,
Flammescat igne charitas,
Accendat ardor proximos.

Doxologia propria.

Ant. Ante luciferum.

PSALMUS.

LEGEM pone mihi Domine viam justificationum tuarum: * et exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam: * et custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum: * quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua, * et non in avaritiam.

Averte oculos meos ne videant vanitatem: * in via tua vivifica me.

Statue servo tuo eloquium tuum, * in timore tuo.

Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum: * quia judicia tua jucunda.

Ecce concupivi mandata tua: * in æquitate tua vivifica me.

Et veniat super me misericordia tua Domine: * salutare tuum secundùm eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: * quia speravi in sermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque: * quia in judiciis tuis supersperavi.

Et custodiam legem tuam semper, * in sæculum et in sæculum æculi.

Et ambulabam in latitudine : quia mandata tua exquisivi.

Et loquebar in testimoniis tuis in onspectu regum : * et non confun-ebar.

Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

Et levavi manus meas ad manda- tua, quæ dilexi : * et exercebar justificationibus tuis.

MEMOR esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem de-sti.

Hæc me consolata est in humili-te mea : * quia eloquium tuum vivificavit me.

Superbi iniquè agebant usquequa-è : * à lege autem tua non de-inavi.

Memor fui judiciorum tuorum à eculo Domine : * et consolatus m.

Defectio tenuit me, * pro pecca-ribus derelinquintibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant justifica-ones tuæ, * in loco peregrinationis eæ.

Memor fui nocte nominis tui Do-ne : * et custodivi legem tuam.

Hæc facta est mihi . * quia justi-ationes tuas exquisivi.

Portio mea Domine, * dixi custo-e legem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam in o corde meo : * miserere mei undùm eloquium tuum.

Cogitavi vias meas : * et converti des meos in testimonia tua.

Paratus sum, et non sum turba- : * ut custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi t me : * et legem tuam non sum itus.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi, * super judicia justificationis tuæ.

Particeps ego sum omnium timentium te : * et custodientium mandata tua.

Misericordia tua Domine plena est terra : * justificationes tuas doce me.

BONITATEM fecisti cum servo tuo Domine, * secundùm verbum tuum.

Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me : * quia mandatis tuis credidi.

Priusquam humiliarer ego deliqui : * propterea eloquium tuum custodivi.

Bonus es tu : * et in bonitate tua doce me justificationes tuas.

Multiplicata est super me iniquitas superborum : * ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Coagulatum est sicut lac cor eorum : * ego vero legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi quia humiliasti me: * ut discam justificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui : * super millia auri et argenti.

Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me : * da mihi intellectum, et discam mandata tua.

Qui timent te videbunt me, et lætabuntur : * quia in verba tua supersperavi.

Cognovi Domine quia æquitas judicia tua : * et in veritate tua humiliasti me.

Fiat misericordia tua ut consoletur me, * secundùm eloquium tuum servo tuo.

Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam : * quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur ſuperbi, quia in-juſtè iniquitatem fecerunt in me: * ego autem exercebor in mandatis tuis.

Convertantur mihi timentes te, * et qui noverunt teſtimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis, * ut non con-fundar.

Capitulum.

Fratres, quanto &c. pag. 5.

R. Specioſus formâ præ filiis ho-minum * Alleluia, alleluia.

V. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. * Alleluia, alluia. Gloria Patri, &c. Specioſus.

V. Notum fecit Dominus, alle-l uia.

R. Salutare ſuum, alleluia.

Oratio. Deus qui ſalutis *pag.* 6.

AD SEXTAM.

Pater noſter. Ave Maria.

Deus in adjutorium.

HYMNUS.

RECTOR potens, verax Deus,
Qui temperas rerum vices,
Splendore manè inſtruis,
Et ignibus meridiem
Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium,
Confer ſalutem corporum,
Veramque pacem cordium.

Doxologia propria.

Ant. Ecce Maria.

PSALMUS.

DEFECIT in ſalutare tuum a-nima mea: * et in verbum tuum ſuperſperavi.

Defecerunt oculi mei in eloqui-um tuum, * dicentes: Quando conſolaberis me?

Quia factus ſum ſicut uter in pru-ina: * juſtificationes tuas non ſum oblitus.

Quot ſunt dies ſervi tui: * quan-do facies de perſequentibus me ju-dicium?

Narraverunt mihi iniqui fabula-tiones, * ſed non ut lex tua.

Omnia mandata tua veritas: * iniquè perſecuti ſunt me, adjuva me.

Paulo minùs conſummaverunt me in terra: * ego autem non de-reliqui mandata tua.

Secundùm miſericordiam tuam vivifica me: * et cuſtodiam teſti-monia oris tui.

In æternum Domine, * verbum tuum permanet in cœlo.

In generationem et generationem veritas tua: * fundaſti terram, et permanet.

Ordinatione tua perſeverat dies: * quoniam omnia ſerviunt tibi.

Niſi quod lex tua meditatio mea eſt: * tunc fortè periiſſem in humi-litate mea.

In æternum non obliviſcar juſtifi-cationes tuas; * quia in ipſis vivifi-caſti me.

Tuus ſum ego, ſalvum me fac: * quoniam juſtificationes tuas ex-quiſivi.

Me expectaverunt peccatores ut perderent me: * teſtimonia tua in-tellexi.

Omnis conſummationis vidi fi-nem: * latum mandatum tuum nimis.

QUOMODO dilexi legem tu-am Domine? * tota die me-ditatio mea eſt.

Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo: * quia in æternum mihi eſt.

Super omnes docentes me intel-lexi: * quia teſtimonia tua medita-tio mea eſt.

Super ſenes intellexi: quia man-data tua quæſivi.

Ab omni via mala prohibui pe-des meos: * ut cuſtodiam verba tua.

A judiciis tuis non declinavi : * quia tu legem posuisti mihi.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, * super mel ori meo?

A mandatis tuis intellexi : * propterea odivi omnem viam iniquitatis.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, * et lumen semitis meis.

Juravi, et statui * custodire judicia justitiæ tuæ

Humiliatus sum usquequaque Domine ; * vivifica me secundùm verbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine : * et judicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis semper : * et legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueum mihi : * et de mandatis tuis non erravi.

Hereditate acquisivi testimonia tua in æternum ; * quia exultatio cordis mei sunt.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, * propter retributionem.

INIQUOS odio habui : * et legem tuam dilexi.

Adjutor et susceptor meus es tu : * et in verbum tuum supersperavi.

Declinate à me maligni : * et scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundùm eloquium tuum, et vivam . * et non confundas me ab expectatione mea.

Adjuva me et salvus ero : * et meditabor in justificationibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes à judiciis tuis : * quia injusta cogitatio eorum.

Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : * ideo dilexi testimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas: * à judiciis enim tuis timui.

Feci judicium et justitiam: * non tradas me calumniantibus me.

Suscipe servum tuum in bonum: * non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum : * et in eloquium justitiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam : * et justificationes tuas doce me.

Servus tuus sum ego : * da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua,

Tempus faciendi Domine : * dissipaverunt legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua, * super aurum et topazion.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar : * omnem viam iniquam odio habui.

Capitulum. Gal. 4.

AT ubi vinit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, et adoptionem filiorum reciperemus.

R. Benedicta tu in mulieribus. * Alleluia, alleluia. Benedicta.

V Et benedictus fructus ventris tui * Alleluia, alleluia Gloria Patri. Benedicta.

V. Post partum Virgo inviolata permansisti, alleluia.

R. Dei Genitrix intercede pro nobis, alleluia.

Oratio. Deus qui salutis *pag.* 6.

AD NONAM.

Pater noster. Ave Maria.

Deus in adjutorium.

HYMNUS.

RERUM Deus tenax vigor,
Immotus in te permanens,

Lucis diurnæ tempora
Succeſſibus determinans :
Largire clarum veſpere,
Quo vita nuſquam decidat,
Sed præmium mortis ſacræ
Perennis inſtet gloria.

Doxologia propria.

Ant. Joſeph fidelis.

PSALMUS.

MIRABILIA teſtimonia tua : * ideo ſcrutata eſt ea anima mea.

Declaratio ſermonum tuorum illuminat : * et intellectum dat parvulis.

Os meum aperui, et attraxi ſpiritum : * quia mandata tua deſiderabam.

Aſpice in me, et miſerere mei, * ſecundum judicium diligentium nomen tuum.

Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum : * et non dominetur mei omnis injuſtitia.

Redime me à calumniis hominum : * ut cuſtodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum : * et doce me juſtificationes tuas.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei : * quia non cuſtodierunt legem tuam.

Juſtus es Domine : * et rectum judicium tuum.

Mandaſti juſtitiam teſtimonia tua: * et veritatem tuam nimis.

Tabeſcere me fecit zelus meus : * quia obliti ſunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehementer : * et ſervus tuus dilexit illud.

Adoleſcentulus ſum ego, et contemptus : * juſtificationes tuas non ſum oblitus.

Juſtitia tua, juſtitia in æternum : * et lex tua veritas.

Tribulatio et anguſtia invenerunt me : * mandata tua meditatio mea eſt.

Æquitas teſtimonia tua in æternum : * intellectum da mihi, et vivam.

CLAMAVI in toto corde meo, exaudi me Domine : * juſtificationes tuas requiram.

Clamavi ad te, ſalvum me fac : * ut cuſtodiam mandata tua.

Præveni in maturitate, et clamavi : * quia in verba tua ſuperſperavi.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo: * ut meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi ſecundum miſericordiam tuam Domine : * et ſecundum judicium tuum vivifica me.

Appropinquaverunt perſequentes me iniquitati * à lege autem tua longè facti ſunt.

Propè es tu Domine : * et omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognovi de teſtimoniis tuis: * quia in æternum fundaſti ea.

Vide humilitatem meam, et eripe me : * quia legem tuam non ſum oblitus.

Judica judicium meum, et redime me : * propter eloquium tuum vivifica me.

Longè à peccatoribus ſalus : * quia juſtificationes tuas non exquiſierunt.

Miſericordiæ tuæ multæ Domine : * ſecundum judicium tuum vivifica me.

Multi qui perſequuntur me, et tribulant me : * à teſtimoniis tuis non declinavi.

Vidi prævaricantes, et tabeſcebam : * quia eloquia tua non cuſtodierunt.

Vide quoniam mandata tua d

lexi Domine : * in miſericordia tua vivifica me.

Principium verborum tuorum veritas: * in æternum omnia judicia juſtitiæ tuæ.

PRINCIPES perſecuti ſunt me gratis : * et à verbis tuis formidavit cor meum.

Lætabor ego ſuper eloquia tua : * ſicut qui invenit ſpolia multa.

Iniquitatem odio habui, et abominatus ſum : * legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi, * ſuper judicia juſtitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam : * et non eſt illis ſcandalum.

Expectabam ſalutare tuum Domine : * et mandata tua dilexi.

Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua : * et dilexit ea vehementer.

Servavi mandata tua, et teſtimonia tua : * quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo Domine : * juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo : * ſecundum eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnum, * cum docueris me juſtificationes tuas.

Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum : * quia omnia mandata tua æquitas.

Fiat manus tua, ut ſalvet me : * quoniam mandata tua elegi.

Concupivi ſalutare tuum Domine : * et lex tua meditatio mea eſt.

Vivet anima mea, et laudabit te: * et judicia tua adjuvabunt me.

Erravi, ſicut ovis quæ periit : * quære ſervum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.

Capitulum. Gal. 4.

QUoniam autem eſtis filii, miſit Deus ſpiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem Abba Pater. Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius ; quod ſi filius, et hæres per Deum.

R. Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, * Alleluia, allel conſtituit.

V. Et principem omnis poſſeſſionis ſuæ, * Alleluia, alleluia. Gloria Patri, &c. Conſtituit, &c.

V. Gloria et divitiæ in domo ejus, alleluia.

R. Et juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi, alleluia.

Oratio. Deus qui ſalutis *&c. pag.* 6.

Ad II. Veſperas.

Omnia ut in primis.

V. Adorabunt in conſpectu ejus, alleluia.

R. Univerſæ Familiæ gentium. alleluia. *Ad Magnificat.*

Antiphona. Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos Deus, miſit filium ſuum factum ex muliere ; ut in ipſo benedicerentur omnes familiæ terræ, et adoptionem filiorum reciperemus, Alleluia, alleluia.

Oratio. Deus qui ſalutis *&c. pag.* 6.

Pro Comm. Domin. Antiph.

Amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos ; mundus autem gaudebit : vos vero contriſtabimini; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, alleluia.

Verſus et Oratio ut ſuprà in primis Veſp. pag. 7

AD COMPLETORIUM.

Jube domne benedicere. *Benedictio* Noctem quietam, &c. *Lectio brevis.* 1. *Petri* 5. *c.*

FRATRES, Sobrii eſtote, & vigilate : quia adverſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui reſiſtite fortes in fide. Tu autem Domine miſerere nobis.

R. Deo gratias.

V. Adjutorium noſtrum *&c. de inde fit confeſſio.*

CONVERTE nos Deus ſalutaris noſter. R. Et averte iram tuam à nobis. V. Deus in adjutorium &c. Gloria Patri, &c. *Antiphona*, Alleluia.

PSALMUS 4.

CUM invocarem exaudivit me Deus juſtitiæ meæ: * in tribulatione dilataſti mihi.

Miſerere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum uſquèquo gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Et ſcitote quoniam mirificavit Dominus ſanctum ſuum: * Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

Iraſcimini, et nolite peccare: * quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.

Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, et ſperate in Domino: * Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: * dediſti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei ſui * multiplicati ſunt.

In pace in idipſum * dormiam et requieſcam;

Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe * conſtituiſti me.

PSALMUS 30.

IN te Domine ſperavi, non confundar in æternum: * in juſtitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: * accelera ut eruas me.

Eſto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii: * ut ſalvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu: * et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi: * quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo ſpiritum meum: * redemiſti me Domine Deus veritatis.

PSAMUS 90.

QUI habitat in adjutorio Altiſſimi, * in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino: Suſceptor meus es tu, et refugium meum: * Deus meus ſperabo in eum.

Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium, * et à verbo aſpero.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi: * et ſub pennis ejus ſperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: * non timebis à timore nocturno.

A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: * ab incurſu, et dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, et decem millia à dextris tuis: * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis conſiderabis: * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea: * altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: * et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te: * ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: * ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem et baſiliſcum ambulabis: * et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me ſperavit, libera

bo eum : * protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : * cum ipſo ſum in tribulatione : eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum : * et oſtendam illi ſalutare meum. PSALMUS 133.

ECCE nunc benedicite Dominum, * omnes ſervi Domini :

Qui ſtatis in domo Domini, * in atriis domus Dei noſtri.

In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, * et benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion, * qui fecit cælum et terram.

Antiph. Alleluia, allel. allel.

HYMNUS.

TE lucis ante terminum,
Rerum Creator poſcimus :
Ut ſolita clementia
Sis præſul ad cuſtodiam.
Procul recedant ſomnia,
Et noctium phantaſmata ;
Hoſtemque noſtrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Doxologia propria.

Capitulum. Ierem. 14. b.

TU autem in nobis es Domine, et nomen ſanctum tuum invocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos Domine Deus noſter. R. Deo gratias.

R. br. In manus tuas Domine, * Commendo ſpiritum meum. In manus tuas. V. Redemiſti nos Dne. Deus veritatis. Commendo. Gloria Patri. In manus tuas. V. Cuſtodi nos Domine ut pupillam oculi. R. Sub umbra alarum tuarum protege nos —*Antiphona.* Salva nos.

CANTICUM SIMEONIS.

Lucæ 2. e.

NUNC dimittis ſervum tuum Domine, * ſecundum verbum tuum in pace :

Quia viderunt oculi mei, * ſalutare tuum,

Quod paraſti, * ante faciem omnium populorum :

Lumen ad revelationem Gentium, * et gloriam plebis tuæ Iſrael.

Gloria Patri, et Filio.

Ana. Salva nos Domine vigilantes, cuſtodi nos dormientes, ut vigilemus cum Chriſto : et requieſcamus in pace. Alleluia.

V. Dominus vobiſcum. R. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

VISITA, quæſumus Domine, habitationem iſtam, et omnes inſidias inimici ab ea longè repelle : Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant ; et benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Dominum V. Dominus vobiſcum. R. Et cum ſpiritu tuo. V. Benedicamus Domino R. Deo gratias. *Benedictio.* Benedicat, et cuſtodiat nos omnipotens et miſericors Dominus, Pater, et Filius, et Spiritus ſanctus. R. Amen.

Antiphona.

Regina cœli lætare, alleluia, Quia quem meruiſti portare, alleluia. Reſurrexit ſicut dixit, alleluia. Ora pro nobis Deum, alleluia.

V. Gaude et lætare, Virgo Maria, alleluia.

R. Quia ſurrexit Dominus verè, alleluia. Oremus,

Deus qui per reſurrectionem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti mundum lætificare dignatus es, præſta, quæſumus, ut per ejus genitricem Virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

V. Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum R. Amen.

Pater, Ave, Credo.

OFFICIUM

DIVINI SACERDOTII D. N. J. C.

ET OMNIUM

SS. SACERDOTUM ET LEVITARUM

Duplex I. Classis.

AD I. VESPERAS.

Ant. ECCE vir, Oriens nomen ejus; ædificabit templum Domino, et erit Sacerdos super solio ejus. *Psalmus* 109 Dixit Dominus, *Pag.* 3.

Ant. Jesus Pontifex factus in æternum, ad destitutionem peccati, per Hostiam suam apparuit.

PSALMUS 110

CONFITEBOR tibi Domine in toto corde meo; * in consilio justorum, et congregatione.

Magna opera Domini: * exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio et magnificentia opus ejus: * et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: * escam dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui: * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis hereditatem Gentium: * opera manuum ejus veritas et judicium.

Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in sæculum sæculi. * facta in veritate et æquitate.

Redemptionem misit populo suo: * mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen ejus: * initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: * laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Jesus Pontifex factus in æternum, ad destitutionem peccati, per Hostiam suam apparuit.

Ant. Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

PSALMUS 115.

CREDIDI, propter quod locutus sum : * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo :* Omnis homo mendax.

Quid retribuam Dno, * pro omnibus quæ retribuit mihi ?

Calicem salutaris accipiam: * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus : * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea : * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus : * in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

Ant. Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

Ant. Idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non litterâ, sed spiritu.

PSALMUS 127.

BEATI omnes, qui timent Dominum, * qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es, et benè tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans, * in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum, * in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, * qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion. * et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum, * pacem super Israël

Ant. Idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non litterâ, sed spiritu.

Ant. Homines magni virtute, nuntiantes in populis sanctissima verba : multam gloriam fecit eis Dominus. Alleluia. *Psalmus* 147. Lauda Jerusalem. *Pag* 5.

Capitulum. Heb. 3.

FRATRES sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum et Pontificem Confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum.

HYMNUS.

CESSANT figuræ, non litat impares
Impar Sacerdos ampliùs Hostias :
Jam Pontifex fit Numen ipsum ;
Seque sibi Deus agnus offert.

VITAM cruentus qui semel obtulit,

Se non cruentum jugiter immolat :
Mactatus aris, et renaſcens,
Perpetuò moriendo vivit.

Ad grande munus nos Deus erigit,
Quos intus ungit ſacrificos ſibi ;
Pondus, caduci, ſuſtinemus
Angelicis humeris tremendum.

O quam ſtupeudæ quas agimus vices !
Quem prona Cœli curia ſuſpicit,
Sacras ad aras imperantes
Nos docilis Deus ipſe ſentit.

Christum, Sacerdos, cœlitùs evocas :
Per te creatur qui creat omnia :
Immotus orbem qni gubernat
Se tibi dat facilem moveri.

Non impotenti, criminis arbiter,
Verbo reſolvis ferrea vincula :
Quas fers magiſtrâ voce Numen
Ecce ſibi putat eſſe leges.

Laus ſumma Patri, ſumma que Filio,
Qui ſe parenti conſecrat Hoſtiam :
Sacro miniſtri quo dicantur
Chriſmate, laus tibi Flamen almum. Amen.

V. Erunt Sacerdotes Dei et Chriſti.

R. Et regnabunt cum illo.

Ad Magnificat.

Ant. Talem habemus Pontificem qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, et tabernaculi veri quod fixit Dominus et non homo.

Cant. B. M. V. Pag. 6.

Oratio.

Deus, qui unigenitum tuum nobis dediſti ſummum Sacerdotem, ei que ad ſacrificandum tibi hoſtiam mundam, et ad promovendam generis humani ſalutem, ſanctos ſacerdotes et levitas conſortes tribuiſti ; quæſumus, ut iiſdem ſanctis ſacerdotibus et levitis intercedentibus, Spiritum gratiæ cui ſervierunt, in Eccleſiâ tuâ excitare digneris. Per eumdem... in unitate ejuſdem.

In fine Hymni completorii, et aliorum ejuſdem metri, doxologia.

Jesu Sacerdos Hoſtia,
Sit laus tibi, ſit gloria
Cum Patre, et ſancto Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum Paſtorem et Epiſcopum animarum noſtrarum. * Venite adoremus.

Pſal. 94. Venite exultemus. *Pag.* 7.

Hymnus.

Tartari diræ paveant cohortes ;
Bella divinum meditatur agmen :

n suis sanctis Deus ipse miles
Prælia tentat.

Prodeunt tecti galeâ salutis,
Cum signo crucis, gladio que verbi,
ntonant Christum ; ruit ecce præceps
Hostis in umbras:

Pax tuos ergo manet alta fines.
Chri^e, jam liber tibi servit orbis,
m tuis latè tua sponsa regnat
uta ministris.

Sustinent curas gregis, et quiescit ;
eniunt flendo lacrymas gementum ;
uas sibi diri rapiunt, egenus
Pascitur escis.

Cœlitum cantus imitando, Numen
ude ter sanctum celebrant perenni ;
ente jam cœlo, sua membra, casti
x sua credunt.

Si reo vindex minitatur ira,
ferunt blandâ prece vim Tonanti ;
ncitur votis Deus et vibrata
Tela coercet.

Quæ tuis formas populis ministros,
Laus tibi jugis, Deitas suprema ;
Fac ut in Clero sua prima virtus,
Christe, resurgat. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ.

Psalmus I.

BEATUS vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in viâ peccatorum non stetit, * et in cathedrâ pestilentiæ non sedit :

Sed in lege Domini voluntas ejus, * et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium ejus non defluet : * et omnia quæcumque faciet prosperabuntur.

Non sic impii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio : * neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum : * et iter impiorum peribit.

Ant. Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ.

Ant. Populum meum docebunt quid sit inter sanctum et pollutum, inter mundum et immundum.

Ant. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes: totâ die, & totâ nocte in perpetuum non tacebunt.

PSALMUS 15.

CONSERVA me Domine, quoniam speravi in te, * Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terrâ ejus, * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: * posteà acceleraverunt:

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus :* nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei: * tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: * etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum: * insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: * quoniam à dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea: * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: * nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: * delectationes in dexterâ tuâ usque in finem.

Ant. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes: totâ die, & totâ nocte in perpetuum non tacebunt.

V. Sancti erunt Deo suo.

R. Et non polluent nomen ejus.

De Epistolâ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos. *Cap.* 5.

LECTIO I.

OMNIS Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate: et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te; quemad-

modum et in alio loco dicit : tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

R. Excelsum fecit Dominus Aaron, et dedit illi Sacerdotium gentis. * Melioris testamenti sponsor factus est Jesus. V. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis : tu es Sacerdos in æternum; * Melioris.

LECTIO II.

QUI in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ. Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam : et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ ; appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech. De quo nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum.

R. Accepto Jesus pane, gratias egit et fregit, et dedit eis dicens : hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur ; * Hoc facite in meam commemorationem. V. Filii mei nolite negligere, vos elegit Dominus ut stetis coram eo, et ministretis illi. * Hoc facite.

LECTIO III.

De libro Ecclesiastici. *Cap.* 44.

LAUDEMUS viros gloriosos, et parentes nostros, in generatione suâ. Multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ suâ à sæculo.... Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes : pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

R. Vos estis lux mundi: * Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. V. Stellæ dederunt lumen in custodiis suis : vocatæ dixerunt, adsumus ; et luxerunt Deo cum jucunditate, * Sic luceat. Gloria Patri * Sic luceat.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Inebriabo animam Sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis adimplebitur.

PSALMUS 19.

EXAUDIAT te Dominus in die tribulationis : *

protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de ſancto : * & de Sion tueatur te.

Memor ſit omnis ſacrificij tui : * & holocauſtum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi ſecundùm cor tuum : * et omne conſilium tuum confirmet.

Lætabimur in ſalutari tuo : * et in nomine Dei noſtri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas : * nunc cognovi, quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum.

Exaudiet illum de cælo ſancto ſuo : * in potentatibus ſalus dexteræ ejus.

Hi in curribus, et hi in equis : * nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus.

Ipſi obligati ſunt, et ceciderunt : * nos autem ſurreximus et erecti ſumus.

Domine ſalvum fac regem, et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Ant. Inebriabo animam Sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis adimplebitur.

Ant. Super frumento & vino erit anima eorum quaſi hortus irriguus.

PSALMUS 22.

DOMINUS regit me, & nihil mihi deerit : * in loco paſcuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me ; * animam meam convertit.

Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ, * propter nomen ſuum.

Nam & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : * quoniam tu mecum es.

Virga tua, & baculus tuus, * ipſa me conſolata ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam, * adverſus eos qui tribulant me.

Impinguaſti in oleo caput meum : * & calix meus inebrians quam præclarus eſt !

Et miſericordia tua ſubſequetur me * omnibus diebus vitæ meæ :

Et ut inhabitem in domo Domini, * in longitudinem dierum.

Ant. Super frumento & vino erit anima eorum quaſi hortus irriguus.

Ant. Lætificabo eos in domo orationis meæ : holocauſta & victimæ eorum placebunt mihi.

PSALMUS 41.

QUEMADMODUM deſiderat cervus ad fontes aquarum : * ità deſiderat anima mea ad te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum : * quando veniam, & apparebo ante faciem Dei ?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ

panes die ac nocte : * dum di itur mihi quotidie : Ubi eſt Deus tuus ?

Hæc recordatus ſum, & effudi animam meam : * quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum Dei.

In voce exultationis, & confeſſionis : * ſonus epulantis.

Quare triſtis es anima mea ? * & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : * ſalutare vultûs mei, & Deus meus.

Ad meipſum anima mea conturbata eſt : * propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim à monte modico.

Abyſſus abyſſum invocat, * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelſa tua, & fluctus tui, * ſuper me tranſierunt.

In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam, * & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : ſuſceptor meus es.

Quare oblitus es mei ? * & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus ?

Dum confringuntur oſſa mea, * exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei :

Dum dicunt mihi per ſingulos dies : Ubi eſt Deus tuus ? * quare triſtis es anima mea ? & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : * ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Ant. Lætificabo eos in domo orationis meæ : holocauſta & victimæ eorum placebunt mihi.

V. Sacrificent ſacrificium laudis.

R. Et annuntient opera ejus in exultatione.

Sermo Sancti Leonis Papæ. *In anniverſario Aſſumptionis ſuæ ad ſum. pont. ex vetuſt. cod.*

Lectio IV.

ADEST, dilectiſſimi, quod non temerè, ſed fideliter confitemur, in medio credentium Dominus Jeſus Chriſtus, & quamvis ad dexteram patris ſedeat, non deeſt tamen Pontifex Summus à ſuorum congregatione Pontificum ; meritòque illi, Eccleſiæ, & omnium Sacerdotum ore cantatur : tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech : ipſe enim verus & æternus eſt antiſtes, cujus adminiſtratio nec commutationem poteſt habere, nec finem.

R. Amen dico vobis. * Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. V. Videte quid faciatis non enim hominis exercetis judicium, sed Domini. * Quæcumque.

LECTIO V.

IPSE est cujus formam Melchisedech præferebat, non Judaicas Hostias offerens Deo; sed illius Sacramenti immolans sacrificium, quod redemptor noster iu suo corpore & sanguine consecravit. Non est itaque nobis, dilectissimi, præsumptuosa festivitas, quia Sacerdotii diem, divini muneris memores, honoramus; quandoquidem piè & veraciter confitemur, quod opus ministerii nostri, in omnibus quæ recta agimus, Christus exequitur; & non in nobis, qui sine illo nihil possumus, sed in ipso, qui possibilitas nostra est, gloriamur.

R. Ego dedi vobis fratres vestros levitas, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus. Vos autum Sacerdotes Dei vocabimini. * Et ministri Dei nostri dicetur vobis. V. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus. * Et ministri.

LECTIO VI.

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi.

Libro 3. de Sacerd. Cap 3.

SACERDOTIUM ipsum in terrâ quidem peragitur; sed in rerum cœlestium classem ordinemque referendum est, atque id perquam meritò.....idcirco necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocatus, inter cœlestes illas virtutes medius staret.....O miraculum! ô Dei benignitatem! Qui terram incolunt, atque in eà versantur, iis commissum est ut ea quæ in cœlis sunt, dispensent: iis datum est ut potestatem habeant, quam Deus omnipotens neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit.....Pater omne judicium filio dedit; cæterùm video omne judicium à Dei Filio Sacerdotibus traditum.

R. Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, * In opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi. V. Domini est Assumptio nostra, & Sancti Israel Regis nostri. * In opus.

Gloria Patri * In opus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Sacerdotes & Levitæ qui custodierunt cæremonias Sanctuarii

mei, ipsi accedent ad me ut ministrent mihi.

PSALMUS 42.

JUDICA me Deus, & dis-ne causam mea de gente non sanctâ : * ab homine iniquo & doloso erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea : * quare me repulisti ? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus ?

Emitte lucem tuam & veritatem tuam : * ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei : * ad Deum, qui lætificat juventutem meam,

Confitebor tibi in citharâ, Deus Deus meus : * quare tristis es anima mea, & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : * salutare vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Sacerdotes & Levitæ qui custodierunt cæremonias Sanctuarii mei, ipsi accedent ad me ut ministrent mihi.

Ant. Non erit eis hæreditas, ego enim possessio eorum.

PSALMUS 80.

EXULTATE Deo adjutori nostro : * jubilate Deo Jacob.

Sumite psalmum, & date tympanum : * psalterium jucundum cum citharâ.

Buccinate in Neomeniâ tubâ, * in insigni die solemnitatis vestræ :

Quia præceptum in Israël est : * & judicium Deo Jacob.

Testimonium in Joseph posuit illud, cùm exiret de terrâ Ægypti : linguam quam non noverat, audivit.

Divertit ab oneribus dorsum ejus : * manus ejus in cophino servierunt.

In tribulatione invocasti me, & liberavi te : * exaudivi te in abscondito tempestatis : probavi te apud aquam contradictionis.

Audi populus meus, & contestabor te : * Israël si audieris me, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum.

Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti ; * dilata os tuum, & implebo illud.

Et non audivit populus meus vocem meam ; * et Israel non intendit mihi.

Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, * ibunt in adinventionibus suis.

Si populus meus audisset me : * Israël si in viis meis ambulasset :

Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem : * et super tribulantes eos misissem manum meam.

Inimici Domini mentiti ſunt ei : * et erit tempus eorum in ſæcula

Et cibavit eos ex adipe frumenti : * et de petra, melle ſaturavit eos.

Ant. Non erit eis hereditas, ego enim poſſeſſio eorum.

Ant. In terrâ ſuâ duplicia poſſidebunt, lætitia ſempiterna erit in eis.

PSALMUS 83.

QUAM dilecta tabernacula tua Domine virtutum ! * concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invenit ſibi domum, * & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Dne virtutum : * Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tuâ Domine, * in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te : * aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem : * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam : * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noſtor aſpice Deus : * & reſpice in faciem Chriſti tui :

Quia melior eſt dies una in atriis tuis * ſuper millia.

Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei : * magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam et veritatem diligit Deus : * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentiâ : * Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.

Ant In terrâ ſuâ duplicia poſſidebunt, lætitia ſempiterna erit in eis.

V. Beati ſervi tui, Domine.

R. Qui ſtant coram te ſemper.

LECTIO VII.

Lectio Sancti Evangelii ſecundum Matthæum. *Cap.* 5.

IN illo tempore : dixit Jeſus diſcipulis ſuis : vos eſtis ſal terræ ; quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorii Papæ. *Homilia 7a. in Ev.*

CONSIDERANDUM nobis eſt, fratres chariſſimi...... quod à Domino ſanctis dicitur Apoſtolis, et per Apoſtolos nobis : vos eſtis ſal terræ : ſi igitur ſal ſumus, condire mentes fidelium debemus. Vos igitur qui paſtores eſtis,

pensate, quia animalia Dei pascitis; de quibus profectò animalibus Deo per Psalmistam dicitur: animalia tua habitabunt in eâ. Et sæpè videmus quod petra salis brutis animalibus anteponitur, ut ex eâdem salis petrâ lambere debeant et meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia, petra salis, debet esse Sacerdos in populis.. ..Ut quisquis Sacerdoti jungitur, quasi è salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur.

R. Qui docti fuerint, et ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ * Fulgebunt in perpetuas æternitates. V. Qui benè præsunt præsbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo et doctrinâ. * Fulgebunt.

LECTIO VIII.

SAL etenim non sumus, si corda audientium non condimus: quod condimentum ille veraciter proximo impendit, qui prædicationis verbum non subtrahit. Sed tunc aliis recta verè prædicamus, si dicta rebus et exemplis ostendimus. Nullum autem puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus. qui compescere peccata debuimus: nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intentâ mente captamus.

R. Ad interiora velaminis præcursor pro nobis introivit * Jesus secundum ordinem Melchisedech, Pontifex factus in æternum. V. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans. * Jesus.

Gloria Patri. * Jesus.

LECTIO IX.

ET si eo ipso quo cæteris Prælati sumus, ad agenda quælibet, majorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis mysterium vertimus ad ambitionis argumentum. Dei causas relinquimus: ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis quod Jeremias, considerans mortem nostram, et deplorans, ait: quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.

Te Deum laudamus.

AL LAUDES.

Ant. Talis decebat ut nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, et excelſior cœlis factus.

Pſalmus. Dominus regnavit. *Cum reliquis de laudibus. Pag.* 19.

Ant. Hos elegit ab omni vivente, offerre ſacrificium Deo, et in lege ſuâ lucem dare Iſraël.

Ant. Boni diſpenſatores gratiæ Dei, providentes ſecundùm Deum, et forma facti gregis ex animo:

Ant. Dederunt in celebrationibus decus, et ornaverunt tempora uſque ad conſummationem vitæ.

Ant. Jeſu Chriſto, qui fecit nos regnum et Sacerdotes, gloria et imperium in ſæcula ſæculorum.

Capitulum. Heb. 6.

Fratres Sancti, &c. *Pag.* 35.

HYMNUS.

JAM non bella furunt: poſt data prælia.
In longâ placidi pace quieſcitis;
Paſtor pro grege paſto,
Pleno Numine paſcitur.

GENS per vos Superûm cœtibus addita,
Cœlo vos geminis plauſibus excipit;
Certat prompta coronas
Veſtris nectere frontibus.

DENSIS quæ fuerat nubibus obſita,
Puro nuda patet lumine veritas;
Aris quæ latitabat,
Se nunc Hoſtia detegit.

Os quondam madidum ſanguine Numinis,
De torrente bibit gaudia pleniùs;
Quem ſprevêre ſuperbo
Mundum nunc pede comprimunt.

QUI ſtellata Poli tangitis atria,
Proles veſtra ſumus, Pontifices ſacri;
Quæ ſuprema tenetis,
Nati poſſideant bona.

PER vos aſſiduis culta laboribus
Tellus nos ſegetes pinguior attulit;
Veſtram ferte ſuperni
Meſſem Patris in horrea,

JUGIS, Summa Trias, ſit tibi gloria:
Quæ ſolemne tuo præpoſitis gregi,
Pro mercede laboris,
Te das prodiga præmium.
Amen.

V. Nimis honorati ſunt amici tui Deus.

R. Nimis confortatus eſt principatus eorum.

AD BENEDICTUS.

Ant. Jam non dicam vos ſervos, vos autem dixi amicos, quia quæcumque audivi a patre meo nota feci vobis. *Cant.* Benedictus &c. pag. 23.

ORATIO.

DEUS qui Unigenitum tuum nobis dediſti ſum-

mum Sacerdotem, eique ad ſacrificandum tibi Hoſtiam mundam et ad promovendam humani generis ſalutem ſanctos Sacerdotes et Levitas conſortes tribuiſti: quæſumus ut, iiſdem ſanctis Sacerdotibus et Levitis intercedentibus, Spiritum gratiæ cui ſervierunt in Eccleſiâ tuâ excitare digneris. Per eumdem.....in unitate eiuſdem.

AD PRIMAM.

Ant. Talis decebat.

In R. Brevi V.

Qui es Sacerdos in æternum.

AD TERTIAM.

Ant. Hos elegit.

Capitulum. Heb. 6.

Fratres Sancti, &c. *Pag.* 35.

R. *Brev.* Chriſtus per proprium ſanguinem * introivit ſemel in ſancta.

R. Chriſtus.

V. Æternâ redemptione inventâ.

* Introivit.

Gloria Patri.

R. Chriſtus.

V. Feciſti nos, Domine, Deo noſtro regnum.

R. Et Sacerdotes.

AD SEXTAM.

Ant. Boni diſpenſatores.

CAPITULUM. *Heb.* 3.

CHRISTUS non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum; tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

R. *Brev.* Feciſti nos Domine * Deo noſtro regnum.

R. Feciſti.

V. Et Sacerdotes. * Deo noſtro.

Gloria Patri. R. Feciſti nos.

V. Benedicite Domino omnes miniſtri ejus.

R. Qui facitis voluntatem ejus.

AD NONAM.

Ant. Jeſu Chriſto.

CAPIT. *Heb.* 4.

HABENTES pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jeſum Filium Dei, teneamus confeſſionem.

R. *Brev.* Benedicite Domino * Omnes miniſtri ejus.

R. Benedicite.

V. Qui facitis voluntatem ejus * Omnes.

Gloria Patri.

R. Benedicite.

V. Cuſtodiebant teſtimonia eju.

R. Et præceptum quod dedit illis.

IN II. VESPERIS.

Omnia dicuntur ut in primis, præter. V. & Ant. Seq.

V. Ego dixi, dii eſtis.

R. Et filii excelſi omnes.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum: ut edatis ſuper menſam meam in regno meo alleluia.

In

SA

Le

NCIPIT LIB
ATI JO
Lect
APOCAL
quam d
cere servis
io : et sign
ngelum su
i testimoni
ei, et testi
æcumque
git et audit
s, et serva
nt : temp
annes septe
Asiâ. Gr
i est, et qui
, et à sept
nspectu thre
Christo, qu
ogenitus m
gum terræ
it nos à p
ne suo, et
cerdotes D

In Ecclesiis ubi ſit de Octavia

SANCTÆ FAMILIÆ,

Lectiones &c. dicuntur ut infrà.

FERIA SECUNDA

IN I. NOCTURNO

NCIPIT LIBER APOCALYPSIS BEATI JOANNIS APOSTOLI.

Lectio I. Cap. 1.

APOCALYPSIS Jeſu Chriſti, quam dedit illi Deus palàm cere ſervis ſuis, quæ oportet fieri o: et ſignificavit, mittens per ngelum ſuum ſervo ſuo Joanni, i teſtimonium perhibuit verbo ei, et teſtimonium Jeſu Chriſti, æcumque vidit. Beatus qui git et audit verba prophetiæ hu-, et ſervat ea, quæ in eâ ſcripta nt: tempus enim propè eſt. annes ſeptem Eccleſiis quæ ſunt Aſiâ. Gratia vobis et pax ab eo, i eſt, et qui erat, et qui venturus, et à ſeptem ſpiritibus, qui in nſpectu throni ejus ſunt: et à Je- Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, pri- ogenitus mortuorum, et princeps um terræ: qui dilexit nos, et it nos à peccatis noſtris in ſan- ne ſuo, et fecit nos regnum et erdotes Deo et Patri ſuo: ipſi gloria et imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Reſponſoria ut in die Feſti.

Lectio II.

ECCE venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ. Etiam. Amen. Ego ſum alpha et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, et qui erat, et qui venturus eſt, omnipotens. Ego Joannes frater veſter, et particeps in tribulatione, et regno, et patientiâ in Chriſto Jeſu: fui in inſulâ, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, et teſtimonium Jeſu. Fui in ſpiritu in Dominicâ die, et audivi poſt me vocem magnam tanquàm tubæ dicentis: quod vides, ſcribe in libro, et mitte ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſiâ, Epheſo et Smyrnæ, et Pergamo, et Thyatiræ, et Sardis, et Philadelphiæ, et Laodiciæ.

Lectio III.

ET converſus ſum, ut viderem vocem quæ loquebatur mecum: et converſus vidi ſeptem candelabra aurea; et in medio ſeptem candelabrorum aureorum, ſimilem filio hominis, veſtitum podere, et præcinctum ad mamillas zonâ aureâ: caput autem ejus et capilli erant candidi tamquam lana alba, et tamquam nix, et oculi ejus tamquam flamma ignis, et pedes ejus ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti; et vox illius tamquam vox aquarum multarum: et habebat in dexterâ ſuâ ſtellas ſeptem: et de ore ejus gladius utrâque parte acutus exibat: et facies ejus ſicut ſol lucet in virtute ſuâ. Et cum vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus. Et poſuit dexteram ſuam ſuper me, dicens: Noli timere; ego ſum primus, et noviſſimus, et vivus, et fui mortuus: et ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum: et habeo claves mortis et inferni. Scribe ergo quæ vidiſti, et quæ ſunt, et quæ oportet fieri poſt hæc.

In ſecundo Nocturno.

Sermo ſancti Bernardi Abbatis.

De hom. 2. ſuper Miſſus, circa medium.

MISSUS eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem deſponſatam Joſeph. Quare deſponſatam? Cum eſſet Virgo electa, Virgo conceptura, Virgo paritura, mirum cur deſponſata fuerit, non nuptura? Numquid vel hoc caſu factum quis dixerit? Non eſt caſu factum, quod rationabilis cauſa commendat, cauſa valde utilis et neceſſaria, et divini prorſus adinventione conſilii digna. Illa utique fuit ratio deſponſationis Mariæ, quæ et dubitationis Thomæ. Mos ſiquidem Judæorum erat, ut à die deſponſationis ſuæ, uſque ad tempus nuptiarum, ſponſis ſponſæ traderentur cuſtodiendæ, quatenus earum ipſi eò ſibi pudicitiam curioſiùs ſervarent, quò ſibi ipſi fideliores exiſterent. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando, conſtantiſſimus factus eſt Dominicæ confeſſor reſurrectionis: ita et Joſeph Mariam ſibi deſponſando, ejuſque converſationem in tempore cuſtodiæ ſtudioſiùs comprobando, factus eſt pudicitiæ fideliſſimus teſtis.

Lectio V. poſt pauca.

DESPONSATA eſt Maria Joſeph, vel potiùs, ſicut ponit Evangeliſta, viro cui nomen erat Joſeph. Virum nominat, non quia maritus, ſed quod homo virtutis erat. Vel potiùs quia juxtà alium Evangeliſtam, non vir ſimpliciter, ſed vir ejus dictus eſt: meritò appellatur quod neceſſariè putatur. Debuit ergo vir ejus appellari, quia neceſſe fuit et putari: ſicut et Pater Salvatoris non quidem eſſe, ſed dici meruit, ut putaretur eſſe, dicente hoc ipſo Evangeliſtâ: Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Joſeph. Nec vir ergo matris, nec filii pater extitit, quamvis certâ et neceſſaria diſpenſatione, utrumque ad tempus et appellatus ſit et putatus.

Lectio VI. paulo poſt.

HUC accedit quod dicitur fuiſſe de domo David. Verè enim de domo David, verè de regia ſtirpe deſcendit vir ille Joſeph, nobilis genere, mente nobilior. Planè filius David, non degenerans à patre ſuo David. Prorſus, inquam, filius David, non tantùm carne, ſed fide, ſed ſanctitate, ſed devotione; quem tamquam alterum David Dominus invenit ſecundum cor ſuum, cui tutò committeret ſecretiſſimum

atque sacratissimum sui cordis arcanum: cui datum est quod multi reges et Prophetæ cum vellent videre, non viderunt; audire, non audierunt; non solum videre et audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, et nutrire et custodire; Non tantum autem Joseph, sed et Maria descendisse credenda est de domo David; alioquin non fuisset desponsata viro de domo David, si non esset et ipsa de domo David. Ambo igitur erant de domo David: sed in alterâ completa est veritas, quam juravit Dominus David, altero tamen conscio et teste adimpletæ promissionis.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. *Cap.* 2.

IN illo tempore: Ut perfecerunt parentes Jesu omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth: Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Domin. infra Octav. Natal. Dom.

EVANGELISTA Lucas patrem Salvatoris appellat Joseph, non quod verè juxta Photinianos pater fuerit ejus, sed quod ad famam Mariæ conservandam pater sit ab omnibus æstimatus. Neque enim oblitus Evangelista, quod eam de Spiritu sancto concepisse et Virginem peperisse narrarit: sed opinionem vulgi exprimens, quæ vera historiæ lex est, Patrem Joseph nuncupat Christi. Quamvis, et eo modo pater illius valeat dici, quo et vir Mariæ rectè intelligitur, sine commixtione carnis ipsa copulatione conjugii, multo videlicet conjunctius, quam si esset aliundè adoptatus. Neque enim propterea non erat appellandus Joseph pater Christi, quia nemo eum concumbendo genuerat, quandoquidèm rectè pater etiam ejus, quem non ex suâ conjuge procreatum alicubi adoptasset.

Lectio VIII.

ET ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth. Prætermisit hoc loco Lucas, quæ à Mathæo satis exposita noverat, Dominum videlicet post hæc, ne ab Herode necandus inveniretur, in Ægyptum à parentibus esse delatum, defunctoque Herode sic demum Galilæam reversum, Nazareth civitatem suam inhabitare cœpisse. Solent enim Evangelistæ singuli, sic omittere quædam, quæ vel ab aliis commemorata viderint, vel ab aliis commemoranda in spiritu præviderint; ut continuatæ suæ narrationis serie, quasi nulla prætermisisse videantur. Quæ tamen alterius Evangelistæ considerata scriptura, quo loco transilita fuerint, diligens lector inveniat.

Lectio IX.

PUER autem crescebat et confortabatur, plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo. Notanda distinctio verborum, quâ Dominus Jesus Christus in eo quod Puer erat, id est habitum humanæ fragilitatis induerat, crescere et confortari habebat: In eo vero quod etiam verbum Dei, et Deus æternus erat, nec confortari indigebat, nec habebat augeri. Unde rectissimè plenus sapientiâ perhibetur et gratia: sapientiâ quidem, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; gratiâ autem, quia eidem

mediatori Dei et hominum homini Jeſu Chriſto, magnâ gratiâ donatum eſt, ut ex quo homo fieri cœpiſſet, perfectus eſſet et Deus. Cui ſimile eſt quod Joannes ſcribit, eum plenum gratiâ et veritate, eandem ipſe divinitatis excellentiam veritatis, quam Lucas ſapientiæ nomine commendans.

Te Deum laudamus, &c.

FERIA TERTIA

In I. Nocturno

De libro Apocalypſis beati Joannis Apoſtoli.

Lectio I. Cap. 4.

POST hæc vidi : et ecce oſtium apertum in cœlo, et vox prima, quam audivi tamquam tubæ loquentis mecum, dicens : Aſcende huc, et oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc. Et ſtatim fui in ſpiritu : et ecce ſedes poſita erat in cœlo, et ſuprà ſedem ſedens. Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis jaſpidis et ſardinis : et iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ. Et in circuitu ſedis ſedilia vigintiquatuor et ſuper thronos vigintiquatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. Et de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua et ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei.

Lectio II

ET in conſpectu ſedis tamquam mare vitreum ſimile cryſtallo: et in medio ſedis, et in circuitu ſedis, quatuor animalia oculis antè et retro. Et animal primum ſimile leoni, et ſecundum animal ſimile vitulo, et tertium animal habens faciem quaſi hominis, et quartum animal ſimile aquilæ volanti. Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas ; et in circuitu, et intus plena ſunt oculis : et requiem non habebant die ac nocte, dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui eſt, et qui venturus eſt.

Lectio III.

ET cum darent illa animalia gloriam, et honorem, et benedictionem ſedenti ſuper thronum, viventi in ſæcula ſæculorum, procidebant vigintiquatuor ſeniores ante ſedentem in throno, et adorabant viventem in ſæcula ſæculorum, et mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes : Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, et honorem, et virtutem : quia tu creaſti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata ſunt.

In ſecundo Nocturno.

Lectio IV.

Sermo ſancti Bernardi Abbatis.

De Serm. 3. *in Vigil. Nativ. Domini.*

TRIA opera, tres mixturas fecit omnipotens illa Majeſtas in aſſumptione noſtræ carnis, ita ſingulariter mirabilia et mirabiliter ſingularia, ut talia nec facta ſint, nec facienda ſint amplius ſuper terram. Conjuncta quippe ſunt invicèm Deus et Homo, Mater et Virgo, fides et cor humanum. Et primo quidem voluit Deus infirmiora noſtra abundantiori gloriâ ſublimare, et contraxit ſe Majeſtas et infirmatas, tanta vilitas et ſublimitas tanta. Nihil enim Deo ſublimius, nihil viliùs limo. Et tamen tantâ dignatione Deus deſcendit in limum, tantâque dignitate limus aſcendit ad Deum, ut quidquid Deus in eo fecit, limus feciſſe credatur : quidquid limus pertulit, Deus in illo pertuliſſe dicatur, tam ineffabili, quam in-

comprehenſibili ſacramento. Hæc eſt prima, et ſuperexcellens mixtura, et hæc prima inter tres. Adverte homo quia limus es, et non ſis ſuperbus: quia Deo conjunctus es, et non ſis ingratus.

Lectio V.

SECUNDA mixtura eſt, Virgo et Mater, admirabilis planè et ſingularis. A ſæculo non eſt auditum, quod Virgo eſſet quæ peperit, quod mater eſſet quæ Virgo permanſit. Numquam juxtà rerum ordinem Virginitas, ubi fœcunditas prædicatur; nec fœcunditas, ubi Virginitas integra conſervatur. Sola hæc eſt, in quâ Virginitas et fœcunditas obviaverunt ſibi. Ibi ſemel factum eſt, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum, quia nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Tertia eſt fides et cor humanum, et hæc quidem primâ et ſecundâ inferior, ſed non minùs forſitan fortis. Mirum enim eſt quomodò cor humanum his duobus fidem accommodavit, quomodò credi potuit, quod Deus homo eſſet: quod Virgo manſerit, quæ peperiſſet. Sicut ferrum et teſta jungi non poſſunt, ſic et hæc duo nequeunt commiſceri, ſi non miſceat glutinum Spiritus ſanctus.

Lectio VI. paulo poſt.

ERGONE credendum eſt, quòd iſte Deus ſit, qui ponitur in præſepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium neceſſitatum injurias patitur, qui flagellatur, qui conſpuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in ſepulchro, et inter duos lapides concluditur excelſus et immenſus? Illane Virgo erit, quæ lactat puerum, cui maritus continuus comes eſt, in convivio, in thalamo? qui ducit illam in Ægyptum, reducit ab Ægypto; et ſolus cum ſolâ tam longinquam, tam ſecretam conficit viam? Quomodò potuit hoc perſuaderi generi humano, univerſo orbi terrarum? Et tamen tam facilè, tam potenter perſuaſum eſt, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. In primâ vide quid, in ſecundâ, per quid, in tertiâ propter quid Deus dederit tibi? Dedit tibi Chriſtum per Mariam, propter ſanitatem. In primâ remedium eſt, quia ex Deo et homine cataplaſma confectum eſt, quòd ſanaret omnes infirmitates tuas. In ſecundâ adjutorium eſt, quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret. In tertiâ autem meritum eſt, quia cum hæc firmiter credimus, jam meritum habemus: et in fide ſanitas eſt, quia qui crediderit ſalvus erit.

In tertio Nocturno.

Lectio VII.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Lucam. *Cap.* 2.

IN illo tempore: Ut perfecerunt Parentes Jeſu omnia ſecundùm legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam, in civitatem ſuam Nazareth. Puer autem creſcebat et confortabatur, plenus ſapientiâ, et gratia Dei erat in illo. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Præsbyteri.

Dominica I. poſt Epiph. Dom.

Luc 2.

APERTA eſt nobis, fratres chariſſimi, ſancti Evangelii lectio recitata, neque opus eſt, ut in eâ quid exponendo loquamur. Deſcribit namque infantiam, puerilitiamque Domini noſtri Redemptoris, quâ noſtræ particeps humani-

tatis dignatus est fieri: commemorat æternitatem divinæ majestatis, in quâ Patri mansit, ac manet semper æqualis: ut videlicet incarnationis ejus humilitate ad memoriam revocatâ, et ipsi contrà omnium vulnera peccatorum medicamentum veræ humilitatis curemus exercere, pio semper animo recolentes, quantùm pro salute nostrâ oporteat humiliari; qui terra sumus et cinis, si tantum summa illa potestas pro nobis humiliari non respuit, ut ad suscipienda nostræ fragilitatis infirma descenderet.

Lectio VIII.

QUOD ergo Dominus per omnes annos cum parentibus in Pascha Jerosolimam venit, humanæ nimirum est humilitatis indicium. Hominis est namque ad offerenda Deo sacrificiorum spiritalium vota concurrere, et autorem suum orationibus, lacrymisque sibi conciliare profusis. Fecit ergo Dominus inter homines homo natus, quod faciendum hominibus per Angelos imperaverat Deus. Servavit ipse legem quam dedit, ut nobis, qui puri homines sumus, servandum per omnia, quidquid Deus jubet, ostenderet. Sequamur igitur iter humanæ conversationis ejus, si deitatis gloriam delectamur intueri: Et ne ullâ in æternum malorum aurâ pulsemur, meminerimus præsentis Ecclesiæ domum, necessariis precum mundarum frequentare muneribus.

Lectio IX.

QUOD ipse duodenis in Templo sedit in medio Doctorum, audiens et interrogans illos, humanæ est humilitatis indicium: imo etiam eximium discendæ humilitatis exemplum. Dei quippe virtus, Dei sapientia æterna, ipsa homine induta, ad audiendos homines advenire dignata est, ut nimirum hominibus, quamvis summo ingenio præditis, necessariam discendi verbi formam prærogaret: ne si qui discipuli veritatis fieri refugerent, magistri efficerentur erroris. Verum ne quis autumet Dominum Salvatorem, ob imperitiæ necessitatem adiisse, audisseque, et interrogasse magistros, videamus quid sequitur. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentiâ, et responsis ejus, et videntes mirati sunt. Qui enim idem verus homo, et verus erat Deus, ad ostendendum quia homo erat, homines magistros humiliter audiebat; et ad comprobandum quia Deus erat, eisdem loquentibus sublimiter respondebat.

Te Deum laudamus, &c.

FERIA QUARTA

In I. Nocturno.

De libro Apocalypsis beati Joannis Apostoli.

Lectio I. Cap. 5.

ET vidi in dexterâ sedentis suprà thronum, librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magnâ: Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus? Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terrà, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum: quoniam nemo dignus inventus est aperire librum nec videre eum. Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris: ecce vicit leo de tribu Juda radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus. Et vidi: et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum, Agnum stantem tanquàm occisum, habentem cornua septem, et oculos

ſeptem: qui ſeptem ſunt ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram. Et venit, et accepit de dexterâ ſedentis in throno librum.

Lectio II.

ET cum aperuiſſet librum, quatuor animalia, et viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum: et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine accipere librum, et aperire ſignacula ejus: quoniam occiſus es, et redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, et linguâ, et populo, et natione: et feciſti nos Deo noſtro regnum, et Sacerdotes: et regnabimus ſuper terram.

Lectio III.

ET vidi, et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et ſeniorum: et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magnâ: Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, et divinitatem, et ſapientiam, et fortitudinem, et honorem et gloriam, et benedictionem, et omnem creaturam quæ in cœlo eſt, et ſuper terram et ſub terrâ, et quæ ſunt in mari, et quæ in eo; omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et poteſtas in ſæcula ſæculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas: et adoraverunt viventem in ſæcula ſæculorum.

In ſecundo Nocturno.

Lectio IV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

De Serm. 4. in Natali Domini.

SICUT Salvatoris infantia manifeſtam prætendit humilitatem, ſic per Virginem continentia, juſtitia per Joſeph virum juſtum, cujus laus eſt in Evangelio, non incongruè deſignatur. Sanè continentiam deberi carni quis neſciat? Juſtitia vero virtus eſt, quod ſuum eſt cuique tribuens, et hæc erga proximos eſt neceſſaria. Porrò humilitas nos Deo reconciliat, Deo facit eſſe ſubjectos, Deo placet in nobis, ſicut ait Virgo beata: Reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ.

Lectio V.

ITAQUE qui fornicatur, peccat in corpus ſuum: qui injurioſus eſt, in proximum: qui extollitur et inflatur, in Deum. Fornicator ſemetipſum dehoneſtat, injurioſus moleſtat proximum; elatus quod in ſe eſt, Deum inhonorat. Gloriam meam, Dominus ait, alteri non dabo: Et ſuperbus? Ego, inquit, mihi eam, licet non dederis, uſurpabo. Nec enim placet ei Angelica diſtributio; dans gloriam Deo, pacem hominibus. Non ergo colit Deum, ſed adverſus eum extollitur, impius planè et infidelis. Quæ eſt enim pietas, niſi cultus Dei? Quis vero Deum colit, niſi qui voluntariè ei ſubjectus eſt, et ſicut oculi ſervorum in manibus Dominorum ſuorum, ſic oculi cordis ejus ad Dominum Deum ſuum?

Lectio VI.

UT ergo inveniantur in nobis ſemper Maria, et Joſeph, et Infans poſitus in præſepio, ſobriè et juſtè et piè vivamus in hoc ſæculo. Proptèr hoc enim apparuit gratia erudiens nos, et per hoc quoque illius gloria apparebit. Sic enim habes: Apparuit gratia Dei omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et ſæcularia deſideria, ſobriè et juſtè et piè vivamus in hoc ſæculo; expectantes

beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei. Apparuit in Parvulo gratia ad eruditionem. Sed hic erit magnus, sicut Gabriël de eo locutus est: et quos Parvulus erudierit ad humilitatem cordis, et mansuetudinem; magnificabit postmodùm, et glorificabit magnus et gloriosus adveniens Jesus Christus Dominus noster.

In tertio Nocturno.
Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. *Cap. 2.*

IN illo tempore: Ut perfecerunt Parentes Jesu omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazereth. Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo. Et reliqua.

De Homilia Venerabilis Bedæ Præsbyteri.
In Cap. 2. Luc.

QUOD Matri quærenti, ac dicenti; Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego dolentes quærebamus te: respondit: Et quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Divinæ Majestatis indicium fuit; quia nimirum, quorum una est majestas et gloria, horum etiam una sedes, ac domus est. Ergo quod Dominus in Templo sedens dicit; In his quæ Patris mei sunt oportet me esse; declaratio est consempiternæ Deo Patri potestatis et gloriæ.

Lectio VIII.

QUOD autem rediens Nazareth erat subditus parentibus, humanæ est veritatis indicium, simulque humilitatis exemplum. In eâ namque naturâ subditus erat hominibus, in quâ minor est Patre. In illâ autem in quâ non ex tempore vadit ad Patrem, sed semper in ipso est, omnia per ipsum facta sunt, et ipse est ante omnes. Cujus multum est miranda magnæ dispensatio pietatis, qui dum parentes suos mysterium divinæ suæ majestatis necdum capere vidisset, exhibuit eis humanæ subjectionem humilitatis, ut per hanc eos paulatim ad agnitionem divinitatis institueret. Cum enim dixisset: Quid est quod me quærebatis, an nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad illos, sicut Evangelista consequenter insinuat: Descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis.

DICEBAT ergo arcanum suæ divinæ virtutis parentibus humanæ suæ fragilitatis, matri suæ scilicet veræ suæ carnis, et castissimo tutori castitatis illius, qui per id temporis, necdum prolatâ luce Evangelicâ, ab omnibus penè qui eos nosse poterant, carnali conjunctione vir ejus, carnali administratione Pater æstimabatur, simul et vocabatur ipsius Domini Salvatoris. Dicebat, inquam his: Quia in iis quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Qui cum arcem tanti mysterii ascendere intelligendo non possent, neque alitèr eum in iis quæ verè Patris ejus essent, manere decernerent, nisi ut comprehendere nossent, descendit ipse cum ipsis ad inferiora conversationis eorum, cepitque manere in his, quæ illorum erant: Et erat eis piâ dispensatione subjectus, donec proficiente humilitatis magisterio, quantum omnibus creaturis esset præferendus agnoscerent.

FERIA QUINTA

In I. Nocturno

De libro Apocalypsis beati Joannis Apostoli.

Lectio I. Cap. 15.

ET vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile, Angelos septem, habentes plagas septem novissimas: quoniam in illis consummata est ira Dei: Et vidi tamquàm mare vitreum mixtum igne, et eos qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei; et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni, dicentes: Magna et mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es: quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.

Lectio II.

ET post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo: et exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo et candido, et præcincti circà pectora zonis aureis. Et unum de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. Et impletum est templum fumo à majestate Dei, et de virtute ejus: et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum.

Lectio III.

ET audivi vocem magnam de templo, dicentem septem Angelis. Ite, effundite septem phialas iræ Dei in terram. Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram: et factum est vulnus sævum et pessimum in homines qui habebant characterem bestiæ, et in eos qui adoraverunt imaginem ejus. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis tanquâm mortui: et omnis anima vivens mortua est in mari. Et tertius effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus est sanguis. Et audivi Angelum aquarum dicentem; Justus es Domine, qui es et qui eras Sanctus, qui hæc judicasti. Quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt et sanguinem ei dedisti bibere; digni enim sunt.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Serm. 63. Cap. 20 de consonantia Evangelistarum.

SICUT Maria sine carnali concupiscentiâ Mater, sic Joseph sine carnali commixtione Pater. Nec eum propterea separemus, quia defuit carnalis concupiscentia. Major puritas confirmet paternitatem, ne ipsa sancta Maria nos reprehendat. Illa enim nomen suum præponere noluit marito suo; sed dixit: Pater tuus et ego, dolentes quærebamus te. Non ergo faciant perversi murmuratores, quod conjux casta non fecit. Numeremus ergo per Joseph: quia sicut castè maritus, sic castè Pater est. Sed præponamus virum feminæ ordine naturæ et legis Dei. Nam si remoto illo illam constituamus: dicit ille, et rectè dicit: Quare me separatis? Quare non per me generationes vel ascendunt, vel descendunt? An dicitur ei: quia tu non genuisti opere carnis tuæ? Sed respondebit: Nunquid et illa opere carnis suæ peperit?

Lectio V. poſt pauca.

QUOD Spiritus ſanctus operatus eſt, utriſque operatus eſt. Cum eſſet, inquit, homo juſtus. Juſtus ergo vir : juſta fœmina. Spiritus Sanctus in amborum juſtitiâ requieſcens, ambobus filium dedit. Sed in eo ſexu quem parere decebat operatus eſt hoc, quod etiam marito naſceretur. Itaque ambobus dicit Angelus, ut puero nomen imponant : ubi parentum declaratur autoritas. Nam et Zacharias, cum adhuc mutus eſſet : filio nato mater nomen imponebat. Et cum illi qui aderant innuerent patri, quid eum vellet vocari, acceptis pugillaribus hoc ſcripſit, quod illa jam dixerat. Dicitur et Mariæ : Ecce concipies Filium, et vocabis nomen ejus Jeſum. Dicitur etiam ad Joſeph : Joſeph fili David, ne metueris accipere Mariam cojugem tuam. Quod in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jeſum : hic ſalvabit populum ſuum à peccatis eorum. Dicitur etiam : Et peperit ei Filium, ubi omnino Pater non carne, ſed charitate firmatur. Sic ergo Pater, ſicuti eſt.

Lectio VI.

PATER Joſeph : Quare Pater ? Quia tanto firmius Pater, quanto caſtius Pater. Alitèr putabatur eſſe Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti : ſcilicèt ſicut cæteri patres carne generantes, non ſolum ſpirituali affectu liberos ſuſcipientes. Nam dixit et Lucas, qui putabatur eſſe Pater Jeſu. Quare putabatur ? Quia humana putatio et exiſtimatio illuc ferebatur, quod ſolet ab hominibus fieri. Non ergo de ſemine Joſeph Dominus, quamvis hoc putaretur. Et tamen pietati et charitati Joſeph natus eſt de Maria Virgine Filius, idemque Filius Dei.

In tertio Nocturno.

Lectio VII.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam. *Cap.* 2.

IN illo tempore : Ut perfecerunt parentes Jeſu, omnia ſecundum legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam, in civitatem ſuam Nazareth : Puer autem creſcebat et confortabatur plenus ſapientiâ, et gratia Dei erat in illo. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Preſbyteri.

Ibid in Cap. 2. Lucæ.

ET Mater, inquit, ejus, conſervabat omnia verba, conferens in corde ſuo. Omnia quæ de Domino, vel à Domino dicta ſive acta cognoverat Mater Virgo, diligentius in corde retinebat, ſollicitè cuncta memoriæ commendabat, ut cum demùm tempus prædicandæ, ſive ſcribendæ Incarnationis ejus adveniret, ſufficientèr univerſa, prout eſſent geſta, explicare poſſet quærentibus.

Lectio VIII.

IMITEMUR et nos, Fratres mei, piam Domini Matrem ; ipſi quoque omnia verba, et facta Domini ac Salvatoris noſtri, fixo in corde conſervando, horum meditatione diurnâ et nocturnâ, importunos inanium, nocentiumque cogitationum repellamus incurſus. Horum crebrâ collatione, et nos, et proximos noſtros à fabulis ſupervacuis, et maledulcoratis detractionum colloquiis caſtigare, atque ad divinæ frequentiam laudis accendere curemus.

Lectio IX.

SI enim, Fratres chariſſimi, in futuri beatitudine ſæculi habi-

tare in domo Domini, ac perputuò illum laudare desideramus, oportet nimirum et in hoc sæculo, quod in futuro quærimus, sollicitè præmonstremus, frequentando videlicet Ecclesiæ limina, et non solum in eâ laudes Domini canendo, sed et omni loco dominationis ejus, ea quæ ad laudem, gloriamque Conditoris nostri proficiant, verbis paritèr ac factis ostendendo.

Te Deum laudamus, &c.

FERIA SEXTA

In I. Nocturno.

De libro Apocalypsis beati Joannis Apostoli

Lectio I. Cap. 19

POST hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia. Salus, et gloria, et virtus Deo nostro est: quia vera et justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione suâ, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus. Et iterùm dixerunt: Alleluia. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum. Et ceciderunt seniores vigintiquatuor, et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen: Alleluia. Et vox de throno exivit, dicens: laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus: et qui timetis eum pusilli et magni.

Lectio II.

ET audivi quasi vocem turbæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia: quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus preparavit se. Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido: Byssinum enim justificationes sunt sanctorum. Et dixit mihi: scribe: beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dixit mihi: Hæc verba Dei vera sunt. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris: conservus tuus sum, et fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ.

Lectio III.

ET vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et verax, et cum justitiâ judicat et pugnat. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersâ sanguine: et vocatur nomen ejus, Verbum Dei. Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo. Et de ore ejus procedit gladius ex utrâque parte acutus: ut in ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virgâ ferreâ: et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Et habet in vestimento, et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

De Homil. 2. *super Missus est.*

VIRUM autem dixerim fuisse Jesum, non solùm jam cum diceretur vir Propheta, potens in opere et sermone, sed etiam cùm tenera adhuc infantis membra, Dei Mater blando vel foveret in gremio, vel gestaret in utero. Vir igitùr erat Jesus, needùm etiam natus, sed sapientiâ, non ætate; maturitate sensuum, non corpulentiâ mem-

brorum. Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potiùs non minor fuit sapientiâ Jesus conceptus, quam natus; parvus, quam magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans Doctores in Templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, æquè profecto plenus fuit Spiritu sancto.

Lectio V.

NEC fuit hora in quâcumque ætate suâ, quâ de plenitudine illâ, quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur; sed à principio perfectus, à principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiæ et intellectûs, spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiæ et pietatis, et spiritu timoris Domini. Nec te moveat, quod de illo legis in alio loco: Jesus autem proficiebat sapientiâ, et ætate, et gratiâ apud Deum, et homines. Nam quod de sapientiâ, et gratiâ hic dictum est, non secundùm quod erat, sed secundùm quod apparebat, intelligendum est: non quia videlicèt aliquid ei novum accideret, quod ante non haberet; sed quod accidere videretur, quando volebat ipse ut videretur.

Lectio VI.

TU, homo, cum proficis, non quando, nec quantùmvis proficis, sed te nesciente tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At vero Puer Jesus qui disponit tuam, ipse disponebat et suam, et quando volebat, et quibus volebat, sapiens apparebat; quando et quibus volebat, sapientior; quando et quibus volebat sapientissimus. Similiter et cùm semper omni gratiâ plenus fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere deberet; pro suo tamen arbitrio eam nunc plùs, nunc minùs ostentabat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat. Constat ergo quia semper Jesus virilem animum habuit, etsi semper in corpore vir non apparuit.

In tertio Nocturno.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam. *Cap. 2*

IN illo tempore: Ut perfecerunt Parentes Jesu omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Præsbyteri.

ET Jesus, inquit, proficiebat scientiâ, ætate et gratiâ apud Deum et homines. Naturam veræ humanitatis indicat, in quâ proficere ad tempus voluit, qui in Divinitate idem est, et anni ejus non deficient. Juxtà hominis quippe naturam proficiebat sapientiâ non quidem ipse sapientior ex tempore existendo, qui à primâ conceptionis horâ spiritu sapientiæ plenus permanebat, sed eamdem quâ plenus erat, sapientiam cæteris ex tempore paulatim demonstrando. Juxtà hominis naturam proficiebat ætate, quia de infantiâ ad pueritiam, de pueritiâ ad juventutem, consueto hominibus crescendi ordine pervenit.

Lectio VIII.

JUXTA hominis naturam proficiebat gratiâ, non ipse per accessum temporis accipiendo quod non habebat; sed pandendo donum

gratiæ quod habebat. Et benè cùm dictum esset, quia Jesus proficiebat sapientiâ, ætate et gratiâ: adjunctum est, apud Deum et homines: quia quantùm proficiente ætate, hominibus sapientiæ et gratiæ, quæ sibi inerat dona patefaciebat; tantùm eos ad laudem Dei Patris semper excitare curabat: peragens ipse quod cæteris agendum præcepit: luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.

Lectio IX.

ATQUE ideò non solùm apud homines gratiâ et sapientiâ proficere dicitur, in quantum ipsi ejus sapientiam, gratiamque potuêre cognoscere; sed etiam apud Deum, in quantum ad ejus laudem gloriamque, sapientiam ac gratiam, quam in eo cognovêre, retulerunt: cujus beneficiis ac muneribus æternis sit laus et gratiarum actio in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Te Deum laudamus, &c.

SABBATO

In I. Nocturno.

De libro Apocalypsis beati Joannis Apostoli.

Lectio I. Cap. 22.

ET ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. In medio plateæ ejus, et ex utrâque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium. Et omne maledictum non erit amplius; sed sedes Dei et Agni in illâ erunt, et servi ejus servient illi. Et videbunt faciem ejus: et nomen ejus in frontibus eorum. Et nox ultrà non erit; et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum. Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima sunt, et vera: Et Dominus Deus spirituum Prophetarum misit Angelum suum ostendere servis suis quæ oportet fieri citò. Et ecce venio velociter. Beatus, qui custodit verba prophetiæ libri hujus.

Lectio II.

ET ego Joannes, qui audivi et vidi hæc. Et postquam audissem et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat: et dixit mihi: Vide ne feceris: conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum Prophetarum, et eorum, qui servant verba prophetiæ libri hujus: Deum adora. Et dicit mihi: ne signaveris verba prophetiæ libri hujus: tempus enim propè est. Qui nocet, noceat adhuc: et qui justus est, justificetur adhuc: et sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio citò, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.

Lectio III.

EGO sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis. Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni: ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. Ego Jesus misi Angelum meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix, et genus David, stella splendida, et matutina. Et spiritus, et sponsa dicunt: Veni: Et

qui audit, dicat : Veni : Et qui sitit, veniat : et qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis. Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus : si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, et de civitate sanctâ, et de his quæ scripta sunt in libro istô. Dicit qui testimonium perhibet istorum : Etiam venio citò : Amen. Veni Domine Jesu. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

De Serm. 2. in Adv. Domini.

MANIFESTUM arbitror, quænam fit virga de radice Jesse procedens, quis verò flos super quem requiescit Spiritus Sanctus. Quoniam Virgo Dei Genitrix virga est, flos Filius ejus. Flos itaque Filius Virginis, flos candidus et rubicundus, electus ex millibus. Flos in quem prospicere desiderant Angeli, flos ad cujus odorem reviviscunt mortui : et sicut ipse testatur, flos campi est, et non horti : campus enim sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impinguatus fimo. Sic omninò, sic Virginis alvus floruit, sic inviolata, integra et casta Mariæ viscera, tanquam pascua æterni viroris florem protulêre ; cujus pulchritudo non videat corruptionem, cujus gloria in perpetuum non marcescat.

Lectio V.

O Virgo virga sublimis, in quàm sublime verticem sanctum erigis ! usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O verè cælestis planta, pretiosior cunctis, sanctior universis ! O verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis ! Jam advertistis (ni fallor) quoniam Virgo regia ipsa est via, per quam Salvator advenit, procedens ex ipsius utero, tanquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam, studeamus et nos, dilectissimi, ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit : per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit.

Lectio VI.

PER te accessum habeamus ad filium, ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater salutis : ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua, culpam nostræ corruptionis ; et humilitas Deo grata, nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua, nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum ; et fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo nos Filio repræsenta. Fac, ô benedicta, per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam percepisti ; ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ et beatitudinis suæ, Jesus Christus, filius tuus Dominus noster, qui

est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

In tertio Nocturno.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. *Cap.* 2.

IN illo tempore: Ut perfecerunt Parentes Jesu omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi. *Hom.* 63 *De conson. Evang. Matth. et Lucæ, in generati. Domini cap.* 10 *et* 11.

CUM dixisset Maria: Pater tuus, et Ego dolentes quærebamus te, ille respondit: Non sciebatis, quia in his oportet me esse, quæ Patris mei sunt? Non enim sic se volebat esse Filium illorum, ut non intelligeretur Filius Dei. Filius enim Dei, semper Filius Dei: creans illos ipsos. Filius autem hominis, ex tempore natus de Virgine sine semine, parentem habebat utrumque. Unde hoc probamus? Jam dixit Maria. Pater tuus, et ego dolentes quærebamus te. Non est prætermittenda, Fratres, maximè propter disciplinam fœminarum, sororum nostrarum, tam sancta modestia Virginis Mariæ. Christum pepererat, Angelus ad eam venerat, et dixerat ei: Ecce concipies in utero, et paries Filium; et vocabis nomen ejus Jesum: Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Meruerat parere Filium Altissimi, et erat humillima: nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret: Ego et Pater tuus, sed Pater tuus, inquit, et ego. Non attendit sui uteri dignitatem: sed attendit ordinem conjugalem.

Lectio VIII.

NON enim humilis Christus Matrem suam superbire docuisset. Pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Pater tuus, inquit, et ego: quia caput mulieris vir. Quantominùs debent superbire cæteræ fœminæ? Nam et ipsa Maria mulier dicta est, non corruptâ virginitate, sed appellatione propriâ gentis suæ. Dixit enim de Domino Jesu Christo et Apostolus: Factum ex muliere: non tamen interrupit ordinem et textum fidei nostræ, quâ confitemnr natum de Spiritu Sancto, et Virgine Mariâ. Illa enim Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo permansit. Sed mulieres omnes fœminas illi appellaverunt, proprietate linguæ Hebrææ. Audi evidentissimum exemplum. Prima fœmina quam fecit Deus sumptam de latere viri, antequam cum viro concumberet, quod posteaquàm de paradiso exierunt, scribitur factum: tamen mulier jam vocabatur, dicente Scripturâ: formavit eam in mulierem.

Lecture IX.

QUID ergor espondet Dominus Jesus Christus? Oportebat me esse in his, quæ Patris mei sunt. Non sic indicat Patrem Deum, ut neget Patrem Joseph. Unde hoc probamus? Secundum Scripturam, quæ sic ait: Et dixit ad illos, non sciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Illi autem non intellexerunt, quid illis locutus est. Et cùm descendisset cum illis, venit Nazareth, et erat subditus illis.

Non dixit; erat subditus Matri, aut erat subditus ei: sed erat, inquit, subditus illis. Quibus subditus erat? Nonne parentibus? Ambo parentes erant, quibus ille subditus erat, eâ dignatione quâ filius hominis erat. Jam dudùm præcepta fœminæ accipiebant, nunc pueri accipiant: ut obsequantur parentibus, eisque sint subditi. Christo mundus subditus, Christus parentibus subditus. Videtis ergo, fratres, quod non ità dixerit: Oportet me in his quæ sunt Patris mei, esse, ut intelligeremus quasi dictum; Vos non estis parentes mei: sed parentes illi temporaliter, Pater ille sempiternè. Parentes illi filii hominis: Pater ille Verbi et sapientiæ suæ, Pater virtutis suæ, per quem cuncta formavit.

Te Deum laudamus, &c.

DIE OCTAVA.

In Primis et Secundis Vesperis.

HYMNUS.

PERDITI quoniam reparator orbis,
Christe, sacrorum decus et Parentum,
Arcta te natum casa vidit; astris
Tu modò regnas.
Qui prius blandis resupinus ulnis,
Lacte materno labra proluebas:
Nunc Dei Patris gremio receptus,
Gaudia potas.
Quin voluptatis rapido supernæ
Mergis illapsu; proceres Olympi,
Et triumphantes tua, Rex, per arma,
Luce coronas.
Hâc Parens Virgo modò fulget aulâ;
Hîc, priùs pauper, spoliis abundat:
Grande Reginam diadema cingit
Quæ modò vilis.
Qui sub obscurâ latitabat arte,
Principes Joseph micat inter altos:
Quanta sacratas tibi Christe curas
Præmia pensant!
Nos tuam serva, Puer alme, prolem;
Sparge per cunctas tua regna Gentes:
Una laus, unus pietatis ardor
Impleat orbem.
Vosque cælestis Pueri Parentes,
Non graves flecti precibus clientum,
Corda terrenis resoluta vinclis
Jungite Nato.
Laus tibi summi Dominator axis,
In tribus regnans super astra Numen:
Fac et in terrâ, Triadis creatæ
Gloria crescat. Amen.

Pro commem. Sabb. ante Domin. IV Post Pascha.

Ant. Vado ad eum qui misit me: et nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? alleluia, alleluia.

V. Mane nobiscum Domine, alleluia.

R. Quoniam advesperascit, alleluia.

Oremus. *Oratio.*

DEUS, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis: da populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis; ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Per Dominum.

In primo Nocturno.

Lectio I.

Incipit Epistola Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Cap. 1.

MULTIFARIAM, multisque modis olim Deus loquens

Patribus in Prophetis: novissimè
diebus istis locutus est nobis in
Filio, quem constituit hæredem
universorum, per quem fecit et
sæcula. Qui cùm sit splendor
gloriæ et figura substantiæ ejus,
portansque omnia verbo virtutis
purgationem peccatorum fa-
suæ,
ciens, sedet ad dexteram Majesta-
tis in excelsis, tanto melior An-
gelis effectus, quantò differentius
præ illis nomen hæreditavit. Cui
enim dixit aliquandò Angelorum:
Filius meus es tu, ego hodie ge-
nui te? Et rursum: Ego ero illi
in Patrem; et ipse erit mihi in
Filium? Et cùm iterum introdu-
cit primogenitum in orbem terræ,
dicit: Et adorent eum omnes An-
geli Dei. Ad quem autem Ange-
lorum dixit aliquandò: Sede à
dextris meis, quoadusque ponam
inimicos tuos, scabellum pedum
tuorum? Nonne omnes sunt ad-
ministratorii spiritus, in minis-
terium missi propter eos, qui hæ-
reditatem capiunt salutis?

Lectio secunda.

De Epistola ad Philippenses.
Cap. 2.

HOC enim sentite in vobis,
quod etin Christo Jesu: qui
cum in formâ Dei esset, non rapi-
nam arbitratus est, esse se æqualem
Deo; sed semetipsum exinanivit
formam servi accipiens, in simulitu-
dinem hominum factus, et habitu
inventus ut homo. Humiliavit
semetipsum factus obediens usque
ad mortem, mortem autem cru-
cis: Propter quod et Deus exal-
tavit illum, et donavit illi nomen,
quod est super omne nomen,
ut in nomine Jesu, omne genu
flectatur, cælestium, terrestrium,
et infernorum; et omnis lingua
confiteatur, quia Dominus noster
Jesus Christus, in gloriâ est Dei
Patris.

Lectio III.

Incipit Epistola prima Beati Joan-
nis Apostoli. *Cap.* 1.

QUOD fuit ab initio, quod au-
divimus, quod vidimus ocu-
lis nostris, quod perspeximus, et
manus nostræ contrectaverunt de
Verbo vitæ, et vita manifestata est,
et vidimus, et testamur, et annun-
tiamus vobis vitam æternam, quæ
erat apud Patrem, et apparuit no-
bis. Quod vidimus, et audivimus,
annunciamus vobis, ut et vos socie-
tatem habeatis nobiscum, et socie-
tas nostra sit cum Patre, et Filio
ejus Jeau Christo. Filioli mei,
hæc scribo vobis, ut non peccetis.
Sed et si quis peccaverit, advoca-
tum habemus apud Patrem Jesum
Christum justum: et ipse est pro-
pitiatio pro peccatis nostris; non
pro nostris autem tantùm, sed eti-
am pro totius mundi. Scribo vo-
bis filioli, quoniam remittuntur vo-
bis, peccata propter nomen ejus.
Scribo vobis, Patres, quoniam cog-
novistis eum qui ab initio est. Scri-
bo vobis, adolescentes, quoniam
vicistis malignum. Scribo vobis,
infantes, quoniam cognovistis Pa-
trem. Scribo vobis, juvenes, quo-
niam fortes estis, et verbum Dei
manet in vobis; et vicistis malig-
num. Videte qualem charitatem
dedit nobis Pater ut filii Dei nomi-
nemur et simus. Charissimi, nunc
filii Dei sumus.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.
De Hom. 1. *super Missus est.*
Lectio IV.

MIRARE utrumlibet, et e-
lige quid amplius mireris,
sive Filii benignissimam digna-

tionem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque ſtupor, utrinque miraculum. Et quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo: et quod Deo fœmina principetur, sublimitas ſine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quòcumque ierit. Quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit? Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De authore tuo loquens Evangelista: Et erat, inquit, subditus illis: haud dubium quin Mariæ et Joseph. Erubesce, superbe cinis: Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis authori.

Lectio V.

SI hominis, ô homo, imitari dedignaris exemplum, certè non erit tibi indignum, sequi authorem tuum. Si non potes forsitan sequi eum, quòcumque ierit, dignare vel sequi, quò tibi condescendit. Hoc eſt, si non potes sublimem incedere semitam Virginitatis, sequere vel Deum per tutissimam viam humilitatis: à cujus rectudine si qui etiam de virginibus deviaverint, ut verum fatear, nec ipsi sequuntur Agnum quòcumque ierit. Sed fœlix Maria, cui nec humilitas defuit, nec Virginitas. Et quidem singularis Virginitas, quam non abſtulit, sed extulit fœcunda Virginitas; et incomparabilis prorsus fœcunditas, quam Virginitas simul comitatur, et humilitas.

Lectio VI.

VENERAMINI ergo, Conjuges, in carne corruptibili, carnis integritatem. Miramini etiam vos, Sacræ Virgines, in Virgine fœcunditatem: Imitamini omnes homines, Dei Matris humilitatem. Honorate, ſancti Angeli, veſtri Regis Matrem, qui noſtræ adoratis Virginis Prolem, ipſum utique noſtrum, ac veſtrum Regem, noſtri generis reparatorem, veſtræ civitatis inſtauratorem. Cujus apud vos tam ſublimis, inter nos tam humilis, à vobis pariter, et à nobis detur, et dignitati debita reverentia, et dignationi honor et gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.

In tertio Nocturno.

Lectio VII.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam. *Cap. 2.*

IN illo tempore: Ut perfecerunt parentes Jeſu, omnia ſecundum legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam, in civitatem ſuam Nazareth. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambroſii Epiſcopi.

In Cap. 2. Luc.

DEFEREBAT homini Chriſtus, deferebat ancillæ. Ipſa enim dicit: Ecce ancilla Domini. Deferebat ſimulato Patri: Et miraris, ſi Deo detulit? An homini deferre pietas eſt, Deo deferre infirmitas eſt? Vel ex humanis divina perpende, et quid honoris Patri debeatur agnoſce. Pater honorificat Filium: Non vis ut Filius honorificet Patrem. Pater voce cæleſti in Filio ſe complacere confitetur, non vis ut Filius humanæ carnis indutus amictu, cùm humano loquatur affectu, Patrem dicat eſſe majorem? Sed cur non accipiam religioſis auribus Filium Patri in ſuſceptione corporis obedientem, cum religioſè accipiam Patrem Filio deferentem?

Lectio VIII.

DISCE potius tuæ utilitatis præcepta, et exempla piet-

tis agnofce. Difce quid parentibus tuis debeas, cum legis à Patre Filium non voluntate, non tempore, non opere difcrepare. Etsi perfonis duo, poteftate unum funt. Et utique nullum Pater ille cæleftis laborem generationis expertus eft. Tu matri debes pudoris injuriam, virginitatis difpendium; partus periculum: matri longa faftidia, longa difcrimina. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu, et multiplicatos alienis ufibus cenfus? Nonne pro his obfequia oportet faltèm rependi.

Lectio IX.

Lectio fancti Evangelii fecundum Joannem.

IN illo tempore: Dixit Jefus difcipulis fuis: Vado ad eum qui mifit me, et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Et reliqua.

Homilia fancti Auguftini Epifcopi. *Tract* 94 *in Joan.*

CUM Dominus Jefus prædixiffet difcipulis fuis perfecutiones, quas paffuri erant poft ejus abfceffum, fubjunxit, atque ait: Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobifcum eram: nunc autem vado ad eum, qui mifit me. Ubi primùm videndum eft, utrum eis futuras non prædixerit ante paffiones. Sed alii tres Evangeliftæ fatis eum prædixiffe ifta demonftrant, antequam ventum effet ad cœnam: quâ peractâ, fecundum Joannem ifta locutus eft, ubi ait: Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobifcum eram.

Te Deum laudamus, &c.

In Laudibus, Pro commem. Domin. IV. post Pascha.

Ant. Vado ad eum qui misit me: et nemo ex vobis interrogat me; quo vadis? Alleluia.

V. In resurrectione tuâ Christe, Alleluia.

R. Cœli et terra lætentur, Alleluia.

Oratio. Deus, qui, &c. *pag.* 64

In Secundis Vesperis pro commem. Domin. IV. post Pascha.

Ant. Vado ad eum qui misit me; sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum, alleluia.

Versus et oratio ut in primis Vesperis. pag. 64.

FINIS.